

Q. D. B. V.

ANTIQUITATES
PAGORUM
ET
COMITATUUM
PRINCIPATUS ANHALTINI,

Ex

*Antiquis & Per-Illustribus Rerum Monu-
mentis eruta,*

&

Quam plurimis Diplomatis, nunquam antea visis,
illustrata,

à

CHRISTIANO KNAUT,

Med. D. Archiatro Anhaltino.





FRANCOFURTI AD MOENUM,

Impensis FRIDERICI KNOCHII, Bibliop.

Anno M. DC. XCIX.





AD

LECTOREM BENEVOLUM

Præfatio.

Sicuti nummi antiqui, antiquorum Regum & Imperatorum, curiosos animos non tantum oblectant, sed & historiæ ipsi non exiguam præbent lucem: ita & antiqua antiquorum *Pagorum* descriptio non omni prorsus destituta erit jucunditate atque utilitate. Numismata veterum historiam quidem ornant & illustrent; ast plenaria antiquorum *pagorum* cognitio historiam ab interitu vindicat, quid quod æternitati commendat. Optimè agnovit hoc Vir Celeberrimus *D. Henricus Meibomius*, Professor in Inclita Julia, de Medicina & Historia Germanica optimè meritis, quippe qui in *Introductione sua ad Saxoniam inferioris historiam p. 58.* non minus eleganter, quàm rectè scribit: *ad accuratiorem locorum notitiam & tabularum antiquarum intelligentiam, quibus donationes ad memoriam posteritatis descriptæ, plurimum juvat pagos illos novisse.* Sed uti è turbidis fontibus pura aqua hauriri nequit: ita & ex Veterum turbidis & confusis annotationibus plena & exacta antiquorum *pagorum* historia contexi non poterit. Quicquid igitur, Benevole Lector, in præsentis libello vides, non tam historia est, quàm saltem delineatio quædam quorundam *pagorum* antiquorum, eorumque *Comitatum*, quibus Principatus *Anhaltinus* natales suos fert acceptos. Quam ego pro mea tenuitate, pro qua tamen Deo devota vota facio, ex antiquis literarum Monumentis depromsi & collegi, quamque jam tuo sisto & trado iudicio, insimul etiam atque etiam rogans, non facultates, sed animum potius respicere velis. Vale, & si rei literariæ faves, fave etiam Tuo

Scribebam in Museo d. 14. Aug. 1698.

Christiano Knaut, Doct.

& Archiatro Anhaltino.

IN



IN
ZODIACUM HISTORICUM,
SEU
DUODECIM COMMENTARIOS
DE
REBUS ET ANTIQVITATIBVS
ANHALTINIS,

Omni ære & ævo perenniores,
Quorum in Præfatione ad Antiquitates Comitatus
Ballenstadiensis & Ascaniensis meminit,

NOBILISS. ET EXCELLENTISS.

D. D. CHRISTIANUS KNAUT,
SERENISSIMI PRINCIPIS CÖTHENO-
ANHALTINI ARCHIATER.

Zodiacum dabit *Historicum*, illustrem atque perennem,
Knautius, Historici faxque jubarque gregis.

Vos *Docti* atque *Boni*, linguis animisque favete,
quotquot *Anhaltinum* nutrit ubique solum.

Nam vobis pandet res cedro & marmore dignas,
Hactenus in tenebris quæ cubuere suis.

Principium *Comitatus* erat *Ballenstadiensis*,
& quid in occultis *Ascaniensis* habet. (1)

Quis *Gentilismus*, quæ sit *conversio* vestra, (2)
 & *lucem* & *Belial*, candida charta refert.
 Abbates *Nienburgenses* mox ritè sequentur;
 cuique *suum*: vitam & singula facta dabit. (3)
 Mox *Ascherlebi* se se diffundet (4) in orbem,
 quod mira ex ipsis fontibus arte dabit.
 Ordine describens, quot Gens Illustris ab *Anhalt*
 protulerit ramos, multiplicante Deo.
 Inde *Duces*, *Electores*, grandesque Columnæ
 Imperii, Patriæ, maxima fulcra, Patres.
 Explicat ENSIFEROS, genuit quot *Anhaltia* nostræ
Saxonia, fato consilioque Dei (5)
 Addit SCEPTRIGEROS, vasti Miracula mundi,
 quæis *Brandenburgum* nomina longa dedit. (6)
 Subnectens MAGNOS, quos *Angria Westphaliaque*
Ascanis debet, (nunc obière) DUCES. (7)
 Promisit *Anhaltinam* Historiam Celeberrima *Jena*,
 quæ plausum meruit. *Knautius* auxit eam: (8)
 Limans, illustrans, poliens, ut veste recente
 & nitido vultu prodeat illa. Benè!
 Fecit, quod potuit, bonus *Hoppenrodus* olim,
Annales Geren-rodin dando tibi: (9)
Knautius Insignis doctè tibi porriget auctos,
 atque *notis* variis irradiabit eos.
 Sicque novum faciet *Monachum Ballenstadiensem*,
Basseum, addens, quæ nesciit iste Pater. (10)
 Nec *Floram* sincerus *Anhaltinam* ille filebit;
 floreat *Eximii* florida fama *Viri*: (11)
 Sistit *Anhaltinos* nunc *pagos* & *Comitatus*: (12)
 dic mihi, nonne suo noscitur ungue leo?
Herculeus labor est, scripsisse volumina docta,
 quæ placeant *Doctis Ingeniisque Viris*.

Et



Et majus facinus mihi, quàm prostrâsse *leonem*,
aut *anguem*, vel *aprum*, bestiolamve aliam:

Seu *volucres* pepulisse, vel occidisse, *bovem*ve
ad Regem vinctum ducere forte suum.

Nocturnâ versare manu, versare diurnâ
antiquas chartas, grande opus & labor est.

Est hoc *Angia* stabulum purgare, *draconem*
cædere, ut *Hesperidum* carpere mala queas.

Mi *Knauti*, bis sex nunc exantlâsse labores,
Herculeum factum est, *Herculeumque* decus.

Victrices laurus Tibi necet *Anhaltia*, laudes
dicet Posteritas candida, fide, tuas.

Vivimus ingenio: mors & Sors cætera versant;
Scisse nihil mors est: mors dididisse nihil.

Scrib. *Ferraria Thuringorum*,

Rerum & Antiquitatum *Anhaltinarum*,

Ingenio & Labore

Knautiano

divulgandarum,

Sincerus Cultor

CHRIST. FRANC. PAULLINI.

Mmm 3

(1) edit.

Et





- (1) edit. Cöthenii anno superiori, typis & sumptibus Matthiæ Weplands. 4.
- (2) Antiqq. Gentilismi & Christianismi Principatûs Anhaltini.
- (3) Chronologia Abbatum Nienburgensium.
- (4) Historia Civitatis Ascherslebiensis,
- (5) Historia Electorum Saxonæ, è stirpe Ascaniensi oriundorum.
- (6) Historia Marchionum Brandenburgensium, è stirpe Ascaniensi oriundorum.
- (7) Historia Ducum Saxonæ, Angriæ & Westfaliæ, è stirpe Ascaniensi oriundorum.
- (8) D. Casp. Sagittarii, Prof. Hist. in Acad. Jenensi, & Historici Ducalis Saxonici, Historia Principum Anhaltinorum, edit. Jenæ anno 1686. in 4. typis Nisianis, quam Commentario suo auxit & illustravit Knautius.
- (9) Andreæ Hoppenrodii Annales Gernrodenses, à Celeberrimo Meibomio T. II. Rer. German. insertos, auctos notisque illustratos spondet noster.
- (10) Henr. Bassæi, Monachi Ballenstad., Panegyric. Genealog. Princip. Anhalt. cum notis exhibebit idem.
- (11) Floram Anhaltinam, seu enumerationem plantarum, tam hortensium quàm sylvestrium, quæ in Principatu Anhaltino progerminare solent, methodicè conscripsit Noster.
- (12) Curâ & operâ D. D. Henr. Meibom. Prof. Helmstad. & Archiatri Guelfici, nuper obtentos.



Q. D. B. V.

(1) edit.

Mmm



Q. D. B. V.

§. I.



Ntiquitates *Pagorum* & Comitatum Prin-
cipatûs *Anhaltini* penitus investigaturo, præprimis
sciendum, quid *Pagus* olim fuerit, & quale officium
Comes, qui *pago* isti præerat, comitatumve in eo ha-
bebat, ævo illo administraverit.

§. II. Erat scilicet *pagus* non vicus aut villa, mu-
ris ac portis destituta, sed designatus tractus, sive
districtus alicujus ditionis, qui regio ac provincia

aliàs appellari solet, (1) siquidem *pagus* & *regio* in diplomatis nonnunquam
simul leguntur. (2)

(1) Henricus Meibomius de pagis Saxonix, Caspar. Sagittarius Historia
Bardewici p 10. Hist. Antiquit. Ducat. Thuring. L. IV. c. II. §. I.
p. 199. (2) Verba Diplomatis Ottonis Magni, à Sagittario Antiquit.
Magdeburg. p. 41. allegata ita sonant: omnem regionem *pagumque*
vocatam Neletice.

§. III. Uni *pago* verò ut plurimum unus præerat Comes, qui,
Imperatoris nomine, illum regens jus ibi dicebat. Comes itaque tum
temporis *pagi*, sive districtus istius Judex erat. (1) Quapropter *pagus* & Co-
mitatus habebantur pro synonymis. (2) Extabant quoque in uno *pago* inter-
dum plures Comitatus, interdum autem unus Comitatus ad plures *pagos*
sefe extendebat. (3) Comites verò tum temporis *pagos* jure hæreditario non
possidebant. (4)

(1) Meibom. de Irmensula Saxonica c. 4. Sagittar. Antiq. Ducat. Thu-
ring. L. IV. c. 3. §. 1. p. 209. (2) Heinr. Meibom. in introduct. ad
Hist. Saxon. inferior. p. 60. Sagittar. d. I. (3) Meibom. d. I. (4) Sa-
gittar. d. I. §. 8.

§. IV. In tales igitur *pagos* olim & *Principum Anhaltinum* distributum
fuisse, ex antiquis literarum Monumentis demonstrare haud est difficile.

Quibus



Quibus vero nominibus *pagi* isti quondam insigniti fuerint, ne Oedipus quidem conjicere potest, cum omnes Scriptores hac de re altum foveant silentium.

§. V. Licet verò, præter aliqualem *pagorum* horum cognitionem, incerta & accurata Comitatum *Principatus Anhaltini*, tempore Caroli M. Successorumque ejus existentium, notitia haberi non possit, indeve *Historia Anhaltina* exactè & plenariè contexi nequeat: attamen ego, cui *res Anhaltinas* literis illustrare animus est, primum de *Pagis* & antiquis *Principatus Anhaltini* Comitatibus sum acturus, deinde verò alia antiqua *Anhaltina* cum Benevolo Lectore communicaturus.

§. VI. Initium facio à *pagis* quibusdam in *Nort-Thuringia* quondam sitis quorum partem Majores *Principum Anhaltinorum* possederunt. Sciendum verò hîc est, non totam *Nort-Thuringiam* pago *Nort-Thuringiæ* fuisse inclusam, sicuti *Torquatus* refert, (1) sed multos alios *pagos* ad *Nort-Thuringiam* pertinuisse, de quibus alibi fusiùs egimus.

(1) *Annal. Magdeburg. & Halberstadiens. MS. Part. I. Lib. II. c. 6.*

§. VII. Quamvis verò horum *Pagorum Nort-Thuringorum* nonnulli ab insigni Polyhistore *Heinrico Meibomio* jam descripti sint, attamen insuper alia ab eo prætermissa addam, addita verò aliquando plenius ex diplomatis illustrabo. Primus igitur horum *pagorum* fuit *pagus Svevon*, qui, præter hoc, & multa alia nomina olim agnovit. Dictus enim est *pagus Suavia, Svave, Svava, Svavengrove & Suevicus*.

§. VIII. *Pagus Svevon* vocatur in diplomate *Otonis Magni*, dato *Sigfrido*, *Marchionis Geronis Filio*, ubi ita scribitur: *in Comitatu prælibati Patris ejus in pago Svevon nuncupantes.* (1) Meminit ejus idem Imperator, diplomate, quod dedit prædicto *Marchioni Geroni Kissenbruka* I. Kal. Mart. Anno *Dominicæ Incarnationis* *MDCCCXLIV.* *Indict. I.* Regnante *Serenissimo Rege Ottone*, anno VIII. super *marcam dimidiam villæ Rodigaresfrode* in *pago Svevon*, in *Comitatu Marchionis Geronis*, & *Rex Geroni* iterum donavit bona quædam in villa *Turthinge* in *pago Nort-Thuringia* in *Comitatu Comitum Tietmari* sita. (2)

(1) *Heinric. Meibom. de pagis Saxonæ, Hoppenrod. Annal. Gernro-*
denf. (2) Antiquit. Comit. Ballenstadiens. & Ascaniens. Autoris.

§. IX. *Pagus Svavia* habetur in diplomate *Ludovici Pii Imperat.* à *Guilhelmo Budæo* edito. *Pagi Svave*, & in eo villæ *Katere & Pichalingen*, (uti villæ hæc in diplomate nominantur,) in *Comitatu Adelberti Comitum*, mentio fit in donatione ab *Heinrico IV. Imperat.* facta *Ecclesiæ Gernrodensi.* (1)

(1) *Meibom. de pagis Saxon. Hoppenrod. Annal. Gernrod.*

PRINCIPATUS ANHALTINI.

3

§. X. *Pagus Svava* nominatur in diplomate Ottonis I. dato cœnobio *Frofa*, (quod Marchio Gero in honorem Sancti Cyriaci Martyris construxit, super prædia quædam in pago *Svava*, in Comitatu prædicti Marchionis, in villa *Bebanthorp*. sita. Subscriptio diplomatis ita habet: *Data VIII. id. Decembr. anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi MCCCLIX. indictione IV. Anno Regni Ottonis Regis XV. Actum Imanleuv in Dei nomine feliciter Amen.*

Pagus Suevicus audit in diplomate Heinrici IV. Imperat., quod dedit Ecclesiæ Halberstadiensi super prædium *Aderstidi* hisce verbis: *Donamus prædium Aderstidi dictum in pago Suevico in Comitatu Adelberti situm. Pagus Svevon, Svavengouve* denique memoratur in diplomate prædicti Heinrici IV. super *Ballenstedensem* Ecclesiam, quod sane meretur hisce Antiquitatibus inseri:

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Henricus*, divinâ favente Clementia Rex. Cùm vetera renovantur, ea, quæ ad interitum sunt properantia, ut subsistere valeant, renovantur, quicquid etiam veterascit, propè interitum est, ad quod Nos in omnibus quidem Ecclesiarum utilitatibus tam devotos, quàm debitos exhibere curamus, sed in earum præcipuè, quarum curam præsertim nostram præcipuè gessisse & utilitati consuluisse scimus. Inter quas Ecclesiam *Ballenstedin*, *Nigemburch* Abbatix appendentem, computantes, ea quæ Pater noster Divæ memoriæ *Henricus* nondum Imperator, sed Rex, sibi contulit prædia, nostra affirmatione prosequi etiam necessarium duximus, quorum nomina, situs & pagum designavimus, mansos siquidem XXI. his locis divisa cum omnibus appenditiis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, pratis, pascuis, sylvis, venationibus, aquis, aquarum decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & redditibus, quæsitis & inquirendis, ac cum omni utilitate, quæ vel scribi, vel nominari poterit, eidem præfatæ Ecclesiæ *Ballenstedin*, sicut Pater ita & Nos in proprium dedimus atque tradimus, *Asmerslevo VIII. Welpeslevo III. Pedabrunno I. Westholtze II. Rothaltasburg I. Emmalestorpe V.* in pago *Svabengouve* in Comitatu Adelberti sitos eorum prædiorum. Et ut hæc no-

Nnn

stra

stra quoque Regalis auctoritas firma & inconcussa omni ævo permaneat, hanc cartam inde conscribi iussimus, quàm propriâ manu, ut infrâ videtur, corroboratam & nostri sigilli impressione insignitam, omnis generationis tam futuræ quàm præsentis notitiæ reliquimus.

Signum Domini
Henrici IV.



Regis invictissimi.

Adalbero Cancellarius vice Sigifridi Archi Capellani recognovit. Data VII. Kal. Aug. anno Dominicæ Incarnationis MLXXIII. Indictione XI. Anno autem ordinationis Domini Henrici IV. Regis XIX. Regni verò XVII. Actum est Harzburg feliciter in Dei nomine Amen.



§. XI.

§. XI. Comites, qui successivè Comitatus suos in pago *Svevon* habuerunt, ex allegatis diplomatis sequentes annotantur. Primus vocatur Marchio *Gero*, de cujus ortu variæ variorum Auctorum opiniones extant.

§. XII. *Hoppenrodus* putat, *Geronem* è celeberrima prosapia Comitum *Stadensium* anno DCCCXC. natum fuisse, quorum eâ ætate præcipua fuerit celebritas in Saxonia, Patre *Gerone*, Comite *Stadense* & *Hartzfeldense*. (1) Hunc secuti sunt *Cassarus Peucerus* (2) & *Fabritius*, (3) qui Marchionem *Geronem* pariter Comitem *Stadensem* vocant, cum tamen in Genealogia Comitum *Stadensium* nullius *Geronis* mentio fiat.

(1) in Annalib. *Gernrodensib.* (2) in continuat. chronic. *Carionis* p. m. 558. (3) lib. de orig. *Misnor.* p. 246.

§. XIII. *Brotusius*, (1) *Entzelius*, (2) *Albinus*, (3) & alii vocant Marchionem *Geronem* Comitem *Altenburgensem* & *Martisburgensem*, Patrem ejus *Ervinum* & Avum *Ottonem*. Verum ex *Ditmaro* (4) patet, *Ervinum*, Comitem *Martisburgensem*, filios non habuisse, sed geminas tantum filias, quarum una, *Hatheburgh* dicta, nupsit Regi *Heinrico* I. (5) Alteram verò, nomine *Darburg*, *Albertus* IV., Comes *Ballenstadiensis*, in matrimonium duxit. (6)

(1) chron. *Martisburg.* p. 887. (2) Annal. veter. *Marchiæ*, (3) chron. *Misn.* p. 97. 119. 405. 407. quò etiam refertur *Andreas Angelus* in chron. *Marchiæ Brandenburg.* Germanico L. II. p. 83. (4) chron. L. I. p. 2. (5) *Ditmar.* d. I. *Ernest.* *Brotus.* chron. *Martisburg.* p. 546. (6) *Entzel.* Annal. veter. *March.* *Angelus* L. II. p. 53.

§. XIV, Ab aliis denique noster Marchio partim ex familia Comitum *Nordringicorum*, (1) partim ex prosapia *Witikingi* (2) & Comitum *Walbeccensium* (3) deducitur. Quid verò de Comitatu *Nordringensi* censendum sit, de hoc inferiùs sermo erit.

(1) *Albin.* chron. *Misn.* p. 118. 119. 408. (2) *M. Hieron.* *Henninges* in Genealogia *Geronem* facit Comitem de *Ringelheim*, Filium Comitum *Theodorici*. (3) *Heinr. Meibom.* in chron. *Walbeccens.* p. 2. & 41. Sed hoc à *Meibomio* pro incerto habetur.

§. XV. Ejusdem *Geronis* unica Soror fuisse traditur *Hidda*, quæ nupsit *Christiano*, Marchioni II. *Lusatia*; (1) Fratrem quoque habuit unicum *Sigfridum*, qui Monasterium in pago *Hardga*, in loco, cui vocabulum erat *Wester-Gröningen*, fundavit. (2)

(1) Auctor. chron. *Montis Sereni* ad ann. CI^oCLXXI. p. 36. *Hoppenrod.* libro genealog. p. 60. *Albin.* chron. *Misn.* p. 118. (2) chronic. *Montis Seren.* d. I. *Heinr. Meibom.* in not. ad chron. *Corbeiens.* p. 789. Nonnulli tamen v. g. *Cyriac. spangenberg.* chron. *saxonic.*

c. CXXIX. p. 182. im *Adels Spiegel* p. 318. Hoppenrodus libr. genealog. p. 88. & Winnigstadius Geronis Fratrem quoque faciunt Bernhardum septimum Episcopum Halberstadiensem. Verum Sagittarius in Hist. Halberstad. p. 20. asserit, quod ejus rei documenta nulla reperiantur.

§. XVI Marchio *Gero* tot victoriis, quot bellis clarus, (1) in præmium vir utis primus factus est ab Imperatore *Henrico* I. Marchio Lusatiae, (2) & Burgravius Magdeburgensis. (3) Mortuo autem *Sigfrido*, Marchionatum Brandenburgensem ab *Ottone* I. simul accepit, (4) Monasterii *Gernrodensis* (5) & Cathedralis Ecclesiae *Havelbergensis* (6) conditor. Dux quoque vocatur. (7) Qualis autem Ducatus hic intelligatur, immerito quaeritur. Si talis, qualis jam ab antiquis temporibus per Saxoniam invaluerat, & quorum hodie longè plures nominantur, de hac assertione dubium mihi movet, quod hoc ex diplomatis probari nequit. Fortè igitur Dux militaris fuit, (8) quippe cui exercitus Imperatoris *Henrici* I. & *Otonis* Magni paruerunt. Rerum præclare gestarum meminerunt Autores varii. (9)

(1) *Witechind* Annal. L. III. *Heinr. Meibom.* not. in *Witechind*. Annal. p. 707. (2) *Spangenberg* im *Adels Spiegel* p. 318. *B. Sagittar.* Hist. Lusat. §. 18. (3) *Peucer.* chron. Carion. L. V. *Sagittar.* d. l. L. X. c. 20. p. 318. *Hoppenrod.* libr. genealog. p. 88. (4) *Peucer.* d. l. c. 4. (5) *Ditmar.* L. II. p. 28. *Autor.* chron. mont. Seren. p. 36. *Hoppenrod.* Annal. *Gernrod.* (6) *Chytraus* Saxon. p. m. 40. (7) *Spangenberg.* chron. Saxon. c. 142. p. 209. *Angelus* L. II. p. 52. (8) *Sagittar.* Antiq. Ducat. Thuring. L. IV. c. 18. §. 3. p. 290. (9) *Witechind.* Annal. L. III. *Spangenberg.* chron. Saxon. c. 139. p. 204. c. 142. p. 209. *Meibom.* not. in *Witich.* Annal. p. 708.

§. XVII. Obiit anno *MDCCCLXV* sepultus in cœnobio *Gerenrodensis*. (1) Uxor ei assignatur *Madalena*, *Alberti*, *Comitis* *Ascaniensis*, *Filia*, (2) ex qua genuit duos *Filios*, *Geronem*, (3) immaturâ morte extinctum, & *Sigfridum*, (4) cujus vidua *Hadwigis* in cœnobio *Gerenrode* prima *Abbatissa* facta fuit. (5)

(1) *Autor* chron. *Montis-Sereni* p. 36. *Spangenberg.* chron. Saxon. c. 142. p. 209. *Angelus* L. II. p. 52. qui *Gerenrodani* epitaphii simul meminerunt. (2) *Hoppenrod.* Annal. *Gernrod.* Per *Albert.* *Comitem* *Ascaniensem* intelligi debet *Albert.* III., qui illo ævo vixit, cujus tamen filia, non *Geroni*, sed *Sigfrido* I. *Brandenburg.* *Marchioni* nupta fuit. Vid. *Antiquit. Ascanienses.* (3) in literis *fundationis* *Gerenrodensis* ita legitur: quod non longo tempore, postquam *Filii* mei, *Sigfridus* & *Gero*, *viam* *universæ* *carnis* *essent* *ingressi*, *constructoque* *ex-*
inde

PRINCIPATUS ANHALTINI.

7

inde Monasterio puellarum in Gerorode, sanctam Sedem Apostolicam adii. (4) Ditmar. L. II. p. 28. & Aut. chron. Mont. Seren. p. 36. Sigfridum vocant Geronis filium unicum, quia, Cerone mortuo, unice superstes fuit. (5) Ditmar. L. II. & VII. p. 28. & 175. vocat illam Hathui. Chron. Mont. Seren. d. I. & Spangenberg. d. I. Fabricius orig. Saxon. p. 151.

§. XVIII. Geroni successit in Comitatu in pago *Svevon* Eccardus I Marchio misniæ & Thuringiæ Dux, (1) quem Abbatissa Hadwigis Monasterio Gerenrodensi primum Advocatum constituit. (2) Quapropter etiam Eccardus prædia quædam in locis Herciniæ sita, *Guntersevo* scilicet, *Westerbhusen*, *Monrore*, *Richbrechtingerod*, *Winethusen*, *Ecgihartingerod*, *Doubenrod* & *Haselfeld*, eidem Monasterio donavit. (3)

(1) In diplomatis Eggihardus vocatur. Eccardum autem hunc Hoppenrod. Annal. Gerenrodens. Marchionem Saxoniam, Pronepotem Ottonis Magni facit, cuius Peucer. chron. Carion. L. IV. p. m. 576. & 599. Spangenberg. chron. Saxon. p. 33. *Adels Spiegel*. p. 315. B. & Albin. chron. Misn. p. 107. 116. & 411. meminerunt. De quo tamen Marchione Sagittar. Hist. Eccard. I. sect. II. §. 2. ita habet. Præterea Eccardus noster confunditur cum alio Eccardo, Saxoniam Marchione, Ottonis Sæviæ ac Carinthiæ Ducis filio. Quis tamen ille fuerit Eccardus, nondum habeo ex veteribus satis exploratum. Nam quod Juniores tradunt, eum à Bernhardo & Lothario Saxoniam Ducibus, ob rebellionem contra Henricum II., fuisse interemptum, in eo partim nostri Eccardi, partim Ecberti historia commiscetur. Unus autem Eccardus, & quidem Marchio Misnensis, Imperatori Henr. II. adversatus & Poledæ recisus est. Deinde Conditor. familiæ Marchionum Saxoniam fuit Bruno, Filius Henrici, Baviarum Ducis, prout hoc ex Henr. Meibom. not. in Witichindi Annal. & Fausti *Sächsischem Stamm-Baum* p. 58. patet. (2) Hoppenrod. Annal. Gerenrodens. (3) Idem.

§. XIX. Soror Eccardo, Marchioni Misniæ, tribuitur *Adelheidis*, (1) secunda Abbatissa Gerenrodensis. (2) Quapropter etiam illa, quod Frater ejus Eccardus Henrico II. sese opposuerat, confirmationem in Abbatia statim impetrare nequivit. Occisus est Poledæ anno CIOII à Filiis Sigfridi Comitis Northemii, (3) Jenæ sepultus. (4) Ex *Svonchilda*, Hermanni *Billingi*, Saxoniam Ducis, filia, (5) *Ditmari*, Marchionis Lusatiam, vidua (6) tres filios totidemque filias (7) suscepit.

(3) Chæricus MS. Anhalt. (2) Hoppenrod. Annal. Gerenrodens. Adelheidem, Ditmari, Marchionis Lusatiam, filiam nominat. (3) Ditmar. L. V. p. 107. Albin. chron. Misn. tit. X. p. 117. Sagittar. Hist. Eccard. I.

Nnn 3

sect.



Sect. XVI. (4) Ditmar. d. l. p. 10. B. (5) Aut. chron. Montis seren. p. 28. Sagittar. Hist. Eccard. II. Sect. I. p. 1. Albin. chron. Misn. p. 118. (6) Idem. p. 39. Ditmar. L. IV. p. 180. (7) sagittar. d. l. Albin. d. l. tit. X. p. 116

§. XX. Defuncto *Eccardo*, pagus *Svevon* & Advocatia Monasterii Gernrodensis ad Comites Ballenstadienses & Principes Anhalinos pervenit. Ex quibus *Henricus II.* Imperator pagum hunc concessit *Esico V.*, *Ernesti I.* Comitis Ballenstadiensis Filio, anno C^oIII. (1) quem simul Capitulum Gernrodense Advocatum delegit. (2) Vita excessit ann^o C^oXLIV. (3) tres relinquens filios, *Henricum*, *Berengarium* & *Albertum VII.* (4) (1) Charic. MS. Anhalt. (2) Hoppenrod. Annal. Gernrodens. (3) Charic. d. l. (4) Idem.

§. XXI. Patri successit *Albertus VII.* Comes Ballenstadiensis, tam in pago *Svevon* (1) quàm in Advocatia Gernrodensi, (2) jam Advocatus Ballenstadiensis (3) & Nienburgensis. (4) Comitatum quoque accepit ab *Henrico IV.* in pago Niersi trans fluvium mildam. (5)

(1) Charic. MS. Anhalt. vid. etiam diplomata de pago *Svevon* superius §. 8. allegata, (2) Hoppenrod. Annal. Gernrod. (3) Charic. d. l. & seq. diplomate, (4) chronologia abbatum Nienburgensium propediem in lucem proditura publicam, (5) de hoc pago vid. inferius §. 81. 82.

§. XXII. *Albertus* hic Præposituram Ballenstadiensem fundavit & Monasterio Nienburgensi incorporavit sequenti diplomate.

OMnibus in Christo piè viventibus notum esse cupio. Quam traditionem Ego Comes *Adelbertus* divinâ inspiratione admonitus, ad altare Sanctissimæ Genitricis *MARIÆ* fecerim, Præposituram *Ballenstedi* nuncupatam, quam jure hæreditario hæctenus possedi, cum omnibus utilitatibus ad eam pertinentibus, ad Monasterium Sanctissimæ Dei Genitricis *MARIÆ NIENburg* dictum, ob salutem animæ meæ meorumque firma & perpetua traditione obtuli: eâ autem conditione hujusmodi traditionem feci, ut ego vita adhuc superstite *Advocatus* existam ejusdem Præposituræ, filiusque meus, si divinâ miseratione mihi successerit, non separetur ab eodem advocandi jure. Quicumque verò supradicti loci Abbas exstiterit, liberam commendandi habeat potestatem eandem Præposituram, ideo ex ejusdem cœnobii congregatione fratri, quem juxta voluntatem
divinæ

PRINCIPATUS ANHALTINI.

9

divinæ monstrationis meum vel filii mei consilium providebit. Hanc verò traditionem, quam supra memoratus Venerabilis Comes nostro Monasterio contulit, si quis temerario, quod absit, ausu violare præsumserit, sciat certissimè, se vinculis anathematis innodatum, & cum diabolo atque Juda proditore Domini nostri JESU Christi æterni supplicii incendio deputatum. Vid. etiam de hoc diplomate §. 9.



§. XXIII. Obitus ejus refertur in annum CLOLXXIV. (1) ex Hilda progenita est prosapia Welphorum. (2) Genuit unicum filium (3) Ottomem divitem, & Habecham, Abbatissam Gernrodensem. (4)

(1) Chæric. d. l. (2) Hoppenrod. Annal. Gernrodens. (3) vid. superius allegatum diploma (4) Hoppenrod. d. l. vocat illam Helicham, seu Helikam, cum tamen in diplomate Habecha legatur.

§. XXIV. A morte Comitis Alberti denominatio pagi *Svevon* simul defuit, cum totus pagus ad Ecclesiam Gernrodensem spectaret. (1) Advocatia autem in Abbatiam penes familiam Comitum Ballenstadiensium & Principum Anhaltinorum semper mansit, donec tandem post obitum *Sibylle*, Principissæ Anhaltinæ, ultimæ Abbatissæ, Principes Anhaltini Abbatiam

tiam illam jure proprio ac hæreditario, ceu purum allodium, possidere cœperint. Pergo nunc ad alium pagum, qui pago *Svevon* finitimus erat.

(1) Hoppenrod. Annal. Gernrodens.

§. XXV. *Pagus Nort-Thuringia*. Fuit portio quædam septentrionalis, five *Nort-Thuringia*, quam Saxones pro strenuè navata opera à Francis acceperunt (1) Fines hujus pagi fuerunt limites pagorum *Hartingouve*, *Derlingouve*, *Bolkeshelm*, *Svevon*, *Hassingouve*, & *Marassouve* suprâ Albim, sicque *Bodæ*, *Salæ*, *Albis*, *Ohræ* & *Alaris* fluviorum circumscriptus ambitu. (2) Non omnem itaque Thuringiam Septentrionalem pagus hic complectus est, (3) quippe quæ in plurimos pagos olim divisa erat. (4)

(1) Sagittar. Antiq. Regni Thuring L. II. c. 12. §. 9. (2) Guilielm. Budæus chronolog. Episcopor. Halberstad. (3) Torquat. Annal. Magdeburg. & Halberstad. P. I. L. II. c. 6. ista habet: Omnis terra illa, quæ jacet inter *Herciniam*, *Salam*, *Albim*, imo ultra quoque *Brandenburgum*, usque ad *Haveli* ripas & *Ducatum Brunsvicensem*, seu *Alarim annem*, dicebatur pagus *Nort-Thuringorum*. Hanc opinionem quoque fovet *Conringius* de antiquissimo *Helmstadii* statu p. 74. (4) Sagittar. Antiq. Ducat. Thuring. L. IV. c. 2. §. 8. Pagi autem *Hartingowe*, *Svevon*, *Hosgau*, *Helmingowi*, & multi alii olim ad *Nort-Thuringiam* pertinuerunt.

§. XXVI. Mira autem est varietas in descriptione nominis *Nort-Thuringia* in antiquis monumentis. Vocatur etiam *Northuringouve* (1) *Nort-Thuringia*, (2) *Norduringa*, *Nortduringa*, *Norturinga*, *Northuringi* & *Northuringorum*. (3)

(1) Meminit diploma Ludovici Pii dat. anno DCCCXIV. indict. IIX. IV. Non. Sept. Vid. *Heinr. Meibom.* de Pagis. (2) *Ditmar.* L. VIII. p. 250. (3) *Sagittar.* Antiq. Magdeburg p. 21. 22. 26. 42. 43. 95. 98. *Heinr. Meibom.* dipl. *Otonis M.* *Sagittar.* Antiq. Regn. Thuring. L. II. c. 12. p. 291.

§. XXVII. Erat hic pagus unus ex *majoribus*, (1) in quo plures Comitatus inveniebantur, quorum nonnulli, qui fines erant hujus pagi, à *Majoribus Principum Anhaltinorum* partim jure hæreditario possidebantur, partim vice Imperatoris ab illis regebantur, postmodum quoque hæreditarii facti, indulgentibus id Imperatoribus. Erant autem sequentes: *Bal-lenstadiensis*, *Comitatus Ascaniensis*, & *Comitatus die hohe Grasschafft Warmisdorff* dictus, quibus *Autores nonnulli Nordringensem & Revevingensem* adjungunt (2) De singulis ordine.

(1) *Heinr. Meibom.* *Introduc.* ad *Hist. Saxon. inferior.* p. 59. (2) *Hoppenrod.* libro genealog. p. 64. & 74. *Albin.* chron. *Misn.* p. 408. *Spangenberg im Adels Spiegel* p. 292. 294. & 314. B. §. XXVIII.

§. XXVIII. Comitatus *Ballenstadiensis* nomen habuit à castro *Ballensted*, quòd in diplomatis *Ballenstedi*, ab aliis *Ballenstide*, *Balingstide* (1) & *Waldenstet* (2) vocatur, quia in scuto quinque fasciæ nigre habentur. Pomarius trabes has *ballen* nominat, (3) an dialecto antiqua corrupta pro *baldten* / incertum est. (4) Arcem *Ballensted* incluta *Ursinorum*, vel *Beringerorum* familia exstruxit, simul ac *Nort-Thuringia* in possessionem Saxonum pervenerat; (5) quam postea Franci Anno DCXI.VII. penitus diruerunt. (6) Temporibus autem Caroli Magni Dynastæ *Ballenstadienses* castrum hoc & omne avitum patrimonium amiserunt, quod cum *Witichindo* Carolo M. sese opposuerint. (7) In gratiam tamen recepti, non solum terras avitas receperunt, sed castrum etiam hoc & omnem provinciam *Ballensted* *Carolus Magnus* ad Comitatus dignitatem evexit hæreditariam. (8)

(1) Krantz. Saxon. L. V. p. 333. (2) Spangenberg. im *Adels-Spiegel* p. 277. Brotuf. Geneal. Anhalt. L. I. c. 6. (3) chron. Saxon. (4) in sylloge genealogico-historico (5) Charic. MS. Anhalt. (6) Spangenberg. chron. Saxon. c. 68. p. 94. Brotuf. d. l. (7) factum hoc est anno DCCLXXXV. Spangenberg d. l. c. 75. p. 108. Autor Manifesti Ascaniensis. p. 3. (8) Spangenberg. c. 78. p. 110. *Hennebergische Genealog.* L. I. c. 10. p. 45. Manifest. Ascaniens. p. 4. 40. Brotuf. d. l. in proem. p. 4. hisce verbis: *Eadem tempestate Dominus Bering, Dynasta Harcynia, Ballenstadii & Ascania, primus inter suos baptizatus & Carolus appellatus fuit. Huic Carolus Imperator castrum, civitatem & dittonem Ascania circumfusum, Ballenstadium quoque & terras proprias circa Harcyniam, Comitatus atque feudi vexillaris nomine obtulit, ac solenni investitura concessit. Tunc itaque facti fuerunt Comites Imperii, qui jure Principum gaudebant.*

§. XXIX. Ex castro *Ballensted* *Eficus* IV. Comes *Ballenstadiensis*, consentientibus Ejus Fratribus, anno MCCCXLIII. Monasterium Canoniorum Regularium effecit, & fratrem *Theodoricum* ipsi præfecit, quod *Papæ* duo *Stephanus VIII.* & *Martinus III.* approbârunt. (1) Anno CIO LIII. Rex *Henricus* Monasterio huic donavit aliquot mansos, in villis *Asmerslevo*, *Padeborn*, *Westholtz* & *Rotalsburg* sitos (2) Quam donationem Rex *Henricus IV.* anno CIO LXXIII. approbavit. (3) *Albertus VII.* Comes *Ballenstadiensis*, Præposituram *Ballenstadiensem* *Abbatia Nienburgensi* incorporavit (4) Cujus Filius tandem *Marchio Otto*, dives dictus, Ecclesiam prædictam Collegiatam in Monasterium Ordinis *Benedictini* commutavit, consentiente *Papa Pascali II.* & confirmante hoc *Papa Lucio* (5) Postea prædictus *Otto* cum familia novum castellum *Anhalt*, (6) quod perfectè exædificavit, habitare cæpit. (7) Quo ipso denominatio Comitatus *Ballen-*

O O O

stadiensis

stadiensis simul desit; (8) & Otto hic fuit ultimus, qui se Comitem Ballenstadiensem appellavit. (9) Posterius autem se postea Comites in & de Aschersleve scripserunt, de quo nunc agemus. (10)

(1) Heinr. Bassæus, Monachus Ballenstadiensis, in panegyrico Principum de Anhalt. Chæric. MS. Anhalt. (2) verba diplomatis ita sonant: In loco, qui Asinerslevo nuncupatur, Ecclesiam regali jure ad Nos pervenientem cum XVII. mansis. In eodem oppido VIII. In Pedabrunno I. in Westholtze II. in Rothallasburch I. in Eminaletstorpe V. Ballenstidi Monasterio condonamus. (3) vid. diploma §. 9. allegatum. (4) in §. 22. diploma integrum exstat. (5) Paulus Langius chron. Citiz. ad annum CLOXXIV. Chæric. d. l. Kranz. L. V. p. 333. (6) Castrum Anhalt primum extruxit Esicus IV., Comes Ballenstadiensis, anno circiter DCCCCLII. in Hartzcici cujusdam montis jugo, non procul ab amne Selitte supra Falckensteinium sito. Chæric. d. l. Autor Vindiciar. Anhaltin. p. 36. (7) Krantz. d. l. Chæric. d. l. (8) Idem (9) Fabricius de orig. Saxon. p. 186. Otto, Comes Ballenstadiensis, ultimus ex ista familia, vitâ fungitur, & ejus Comitatus cessit rebus Ecclesiasticis. Videatur etiam Kranz. d. l. (10) de hoc in sequentibus paragraphis agetur.

§. XXX. Pergo nunc ad Comitatum *Ascaniensem*, qui simul cum Ballenstadiensi eodem tempore à Catolo Magno dignitatem Comitatus hæreditariam obtinuit, (1) & in manu ac dominio proprio Cellissimorum Anhaltinæ stirpis Satorum jam antiquissimis temporibus fuit.

(1) Bassæus Panegyri. Anhalt. Aut. Vindic. Anhalt. p. 4. Brotuf. Genealog. Anhalt. præm. p. IV. Erpold. Lindenbrog. Scriptor. rerum Septentrional. Joh. Letzner. in vit. Caroli M.

§. XXXI. Ascanium nomen nonnulli ab antiquissima Gente Ascania, quam à Japheti nepote, Gomerique Filio Ascenaze descendisse putant, deducunt. (1) quod tamen ab aliis (2) pro incerto habetur,

(1) Ita Brotuf. Geneal. Anhalt. L. I. p. 16. Peucer. chron. Carion. L. IV. p. in 448. 462. qui tamen p. 484. opinionem mutat, & nomen civitatis Aschersleben à monte Asciburg derivat. Spangenberg. chr. Saxon. p. 8. Albin. chr. Misn. p. 22. Aut. Vindic. Anhalt. p. 55. seq. Reiner. Reinecc. in Comment. de Misnorum origine, Joh. Limnæus Jur. Publ. L. IV. c. 2. & denique Matthæus Dresserus Part. II. Millenar. sext. Isagoges verò historicæ Parr. IV. p. 822. (2) Contrarium statuit Tobias Pfanner. lib. de præcipuis Germaniæ Principum Gentibus

tibus c. 10. *Gentis hujus (Anhaltino Lauenburgicæ) origo ab Ascenaze tracta, ut vetustas plerumque fabulosa est, incerto nimirum fundamento atque fide nititur. Confirmat hoc Spenerus in Oper. Herald. L. I. c. 5. Huic (Comitatus Ascanio) inquit, ab arce Ascania nomen, hujus verò ad Ascenatem ex Noachitis nescio quâ sufficienti probatione referunt appellationem. De hac re etiam Oldenburger. in Limnæo enucleato L. III. c. 3. ita scribit. Autor noster (Limnæus) illustrissimam hanc familiam (Anhaldinam) deducit ab Ascena, filio Gomeri, utpote Sapethi, pronepote Noæ. Ceterum hæc derivatio certo caret fundamento, uti etiam nec illa, quæ ab Ascaniis procedit, extra omne dubium est. Fuit quoque in hac sententia sagittarius, cujus hæc sunt verba Hist. Princip. Anhaltin. c. 1. §. 8. p. 5. Nequaquam jam sollicitabimus antiquissima Anhaltinorum Principum incunabula, quæ libentes meritoque veneramur, iisdemque decenter assurgimus. Nec video tamen, qui tanti res momenti ex seelo Ascanii nominis cum Ascenaze convenientia firmiter queat stabiliri ac confirmari. Imò verò dubites, an tam vetusta sit nominis Ascanii per Germaniam memoria, ut cum ea non modò supra Caroli M. ævum, sed ipsius nati Servatoris æram licuerit ascendere, ac per tot seculorum decursum prope ad universalis diluvii tempestatem commigrare.*

§. XXXI. Priscis enim temporibus Comitatus hic nunquam Ascaniensis, sed *Achersleviensis* (1) potius vocatus fuit.

(1) Urbs primaria, à qua Comitatus nomen accepit, non Ascania, sed Aschersleve olim audivit. sic Autor Chron. Mont. seren. p. 40. Anno MCLXXV. *Henricus Dux Aschersleve incendit. Et Fabritius Origin. saxon. L. I. p. 199. & 201. vocat Ascherslebam & Ascherslebium. Ab Alberto stadensi autem p. 273. nominatur Ascherleve: Udo occisus est propè Ascherleve à militibus Marchionis Alberti. Et quod olim urbs Ascherleben Aschersleve dicta fuerit, probatur diplomate Alberti Ursi, Comitæ Aschersleviensis & Marchionis Brandenburgici, super villam Bezenleven trans fl. Mildam, quam Adalricus de Bleckendorp accepit, & vicissim Monasterio Ballenstädiensi octo mansos in snetlingen dedit. subscriptio ita habet: Testes fuerunt Filii Alberti, Otto Marchio, Adalbertus Comes, Hermannus, Tidericus, Bernardus. Peracta sunt hæc Aschersleve anno MCLXVII. Regnante Imperatore Friderico.*

§. XXXIII. Mortuo enim Ottone, Comite ultimo Ballenstadiensi, & Comitatu cedente rebus Ecclesiasticis, (1) Albertus Ursus, Ottonis Filius primùm se Comitem Ascherslebiensem appellavit.

(1) Vid. §. 29. (2) quamvis Majores Principum Anhaltinorum duos hos Comitatus simul jure hæreditario possederint, non tamen ab utrisque se scripserunt Comites, uti Brotuf. geneal. Anhalt. L. I. putavit. Prolixos enim titulos illa tempora nondum ferebant, ac plerumque satis habebant Principes ac Comites, unum eundemque præcipuum afferre. Sic antiqui Domini Beringeri vocabantur Domini de Ballenstad, prout hoc ex Fabritio de Orig. Saxon. p. 242. 244. & Laurent. Faust. Fürstlichem Stamm, Baum p. 31. 32. apparet Comites autem facti, à Comitatu Ballenstad se prius appellabant. Vid. Kranz L. V. p. 333. 353. Fabrit. Orig. Saxon. p. 186. & Heinr. Meibom. T. II. p. 324. ac Chron. Brunsvic. Bunting. p. 122. quod etiam multis diplomatis, præprimis privilegio Heinrici, Marchionis de Ilburch, dato Monasterio Nienburgensi, & in Chronologia Abbatum Nienburgensium à me allegato, confirmatur.

§. XXXIV. In diplomate Friderici, Archi-Episcopi Magdeburgensis, de bonis in Gilverstede, (nunc *Zilberstedt*) non solum mentio fit Aschersleve, sed etiam Albertus Ursus ibi partim Comes de Aschersleve, partim Marchiæ vocatur. Meretur ergò diploma, ut integrum afferamus.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Fridericus, Dei gratiâ Magdeburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, tam futuris, quàm præsentibus in perpetuum. Cùm jam olim ab Apostolo prænunciata tempora periculosa per multorum malorum incrementa in nos devenisse sentimus, ut nullam posteris nostris disceptandi occasionem relinquamus, tantò magis ad quæsitâ sive ad quærenda Ecclesiarum bona & possessiones privilegiis confirmare festinamus, quo malitiam & nequitiam filiorum excedere mensuram Patrum suorum pervidemus. Notum itaque fieri volumus cunctis tam præsentibus, quàm futuris Christi fidelibus, Quòd Venerabilis *Norbertus*, Prædecessor noster Magdeburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, præsentibus Ecclesiæ nostræ Clericis & laicis, comparavit X. mansos, sitos Gelverstide XXX. marcis à Friderico Nobili de Snetlinge, consentiente ac laudante Theodulfo de Luppene, legitimo hærede suo,

suo, cui scilicet Theodulfo Idem Fridericus dedit II. mansos
 sitos Burnettere, eâ videlicet conditione, ut eandem venditio-
 nem laudaret & confirmaret. Quæ etiam venditio ut rata & in-
 convulsa in perpetuum permaneat in placito populi *Aschersleve*
 à Connite *Adalberto de Aschersleve* jure legitimò confirmata est.
 Præfato verò *Friderico* defuncto, *Martinus*, Halverstadenſis Ec-
 cleſiæ quondam Præpoſitus, ſed ejuſdem Eccleſiæ Canonicis
 insolentiam ejus accuſantibus à Romano Pontifice deſoſitus,
 eandem venditionem legitimè factam quaſi conſanguinitatis oc-
 caſione infringere opravit. Nos itaq̃ Eccleſiæ noſtræ paci
 providentes, fidelium noſtrorum conſilio, eundem *Martinum*
Aschersleve cum *Marchione Adalberto*, ac ceteris fidelibus noſtris
 quàmplurimis convenimus, & ambitiones ejus machinationes in-
 juſtas eſſe legitimis aſſertionibus oſtendimus. Ac ſic, ipſo *Martino*
 conſentiente & laudante, & omnibus proſus objectionibus, quas
 prius adverſus eadem bona habere viſus eſt, poſtpoſitis. Be-
 nignè etiam conſentiente ac laudante *Marchione Adalberto*,
 qui mundiburdus ejus erat, aſſentientibusque filiis ejus *Her-
 manno*, *Adalberto*, *Theodorico*, qui præſentes erant, omnibus-
 que, qui deſuerunt, quoquomodo pertinere videbantur, in
 communi placito populi eadem venditio denuò ab eodem Co-
 mite *Adalberto* juſto ac legali ordine firmata eſt. Ut autem de
 cetero nulla de his controverſia oriatur, & fratres de gratia Dei
 eadem bona à præfato *Norberto* Archi Episcopo juſtè ſibi colla-
 ta deinceps in perpetuum quietè & ſine omni moleſtatione poſ-
 ſideant, hanc cartam conſcribi fecimus & ſigilli noſtri impres-
 ſione roboravimus. Si quis autem hujus confirmationis & no-
 ſtri ſcripti tranſgreſſor extiterit, & eosdem fratres inquietare,
 vel bona eorum alienare tentaverit, Omnipotentis Dei & San-
 ctæ Mariæ, perpetuæ Virginis, & *Mauritii* *Victoris* indignatio-
 nem incurret, & excommunicationi ſubjaceat. Hujus rei teſtes
 ſunt *Schulterus*. *Rudolphus de Snetlingen* &c. Data VI. Idus
 Aug. anno Dominicæ Incarnationis M. C. XLVII. Indict. X.



anno autem Pontificatus Domini Friderici, Magdeb. Archiepiscopi VII. Actum Aschersleve in Dei nomine feliciter, Amen.

§. XXXV. Alberto successit ejus filius *Bernhardus*, cui pariter ejusmodi titulus assignatur in diversis privilegiis. Sic anno CI^oCLXXIV. Bernhardus hic donationem quandam, Monasterio Marienthalensi factam, in prædio Eskenrod, coram judicio suo in *Aschersleve* confirmavit, cujus scripturæ initium ita habet:

Bernhardus Dei gratia Comes in *Aschersleve*. Cum omnibus ad nos fugientibus promptum fere semper debeamus consilium & auxilium, maximè tùm viduis & orphanis Ecclesiæ, Ecclesiasticisque personis, æstimamus conferendum. Quapropter &c. Anno CI^oCLXXVII. Wichmannus Archi-Episcopus Magdeburgensis prædia quædam ad Monasterium *Heklingense* pertinentia, à *Richeza* Abbatissa per cambium accepta, Ecclesiæ Magdeburgensi attribuit. Subscriptio ita habet: Hujus rei testes sunt Sigfridus, Brandenburgensis Episcopus, Sigfridus Abbas de Monte, Ruckerus Præpositus Majoris Ecclesiæ, Baldramus Præpositus Ecclesiæ Beatae Mariæ, Heinricus Præpositus S. Sebastiani, Witholdus Præpositus de Hunnoldesberg, Otto Marchio Brandenburgensis, cum filiis Ottono & Heinrico, Fratribus etiam suis Comitibus Aschersleve, Theodorico & Bernardo: Burchardus Urbanus Comes: Badericus Comes, Waltherus de Arnestini, Richardus de Alesleve, Rodolphus & Henricus de Jericho: Cuonradus Præfectus Civitatis. Actum anno Dominicæ incarnationis MCLXXVI. indictione VIII. Epacta VII. concurrente quarto die XIV. Kalend. Maj. feliciter Amen.

§. XXXVI.



§. XXXVI. Anno MDCLXXXV. à prædicto Bernharde, qui anno MDCLXXX. Dux Saxoniae creatus fuerat, aucta est Ecclesia Colbeccensis salis arâ (Sohlguth) in Stasfurto per sequens diploma:

NOs Bernhardus Dux Saxoniae & Comes de *Ascherslevie*.
 Tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Si, catholicorum & Gloriosorum Patrum & Prædecessorum meorum exemplo, Sanctæ Venerabili Matri nostræ, Catholicæ videlicet Ecclesiæ rebus & obsequio, debitum adhuc honorem exhibere non potero, fidelitatem & devotionem eorum interim in eo imitari desidero, quod ab iisdem oblata sive collata, spe ejusdem remunerationis, adeò in potestate tradita summopere conservare ac defensare curabo, & circa quoslibet Dei filios & Ecclesiæ contemptores, hujus mundi præcipuè, filialem matris dilectionem nunc voluntatis affectu, postmodum operis effectum,

Etum, Deo inspirante, monstrabo. Hujus rei gratiã Colebicensem Ecclesiam, in fundo Babenbergensis Ecclesiæ sitam, & ab ejusdem Ecclesiæ Venerabili Episcopo Ottone defensionem atque protectionem meam commissam, & Fratres eandem Ecclesiam inhabitantes, & in ea domo die noctuque devotè orantes, specialiter amplecti, diligere placuit ac honorare, & eodem studio, ac si in hæreditatem mea sita fuisset, modis omnibus placuit promovere. Hoc verò præsentem privilegio tam præsentem quàm succedentes scire cupio, qualiter ego Bernardus Dux, petitione cujusdam suprã memoratæ Collbicensis Ecclesiæ Præpositi vivi, Evervvinus salis aram apud Stasfort in hæreditate mea sitam consensu meorum pro amore Domini & pro salute animæ Patris & Matris meæ, nec non pro remedio animæ meæ & filiorum meorum, super altare Beati Magni Martyris in Colbike, ad subsidium Fratrum inibi Domino servientium, in perpetuum donavi. Si verò de hac oblatione futuris temporibus ulla controversia suboriatur, imago mea, præsentem ceræ impressa, testis fidelissimus producat. Sunt autem hujus rei testes Conradus Comes & frater ejus Bedericus, Gero & Bernardus de Wulfen, Cunradus Ratlo & alii quàmplurimi. Anno Dominicæ Incarnationis **CLXXXV.** in castro Berneburg. VII. Idus Februarii.

§. XXXVII.



§. XXXVII. Anno CI^o CLXXXIII. duo privilegia super Advocatiam in *Scavvize* data sunt, in quibus *Bernardus* noster Comes in *Aschersleve* vocatur. Prioris horum formula talis est.

IN nomine Sanctæ & individue Trinitatis. *Bernardus*, Dei gratia Dux Saxonie & Comes in *Aschersleve*. Quoniam temporum volubilitas, & vicissitudinum mutabilitas indiscreta minus discretorum facta frequenter permutare consueverit, censura discretorum hoc docuit, & exinde hoc inolevit, ut ea, quæ ad permanentiam rationabiliter ordinantur, scripti memoriæ & stabilitatis fidei committantur. Igitur præsentis scripti testimonio ad notitiam fidelium tam futurorum, quam præsentium deducimus. Qualiter Ego in præsentia Domini mei *Hueldensis* Abbatis *Sifridi*, consentiente Domino *Conrado*, *Mimilebensis* Ecclesiæ Præposito, de Advocatia in *Scavvize*, quæ villa totaliter

Ppp

taliter ad eum pertinet, disposui cum Heinricho de Cokstete, & filiis, & qui eandem Advocatiam in possessione tenet. Scilicet ut de quolibet manso, qui de novo in prædio collecti sunt, unum Cotinense maldrum dimidium tritici & dimidium filiginis ei pro sua justitia annuatim persolvat, eâ videlicet ratione, ut Advocati neque ad petitiones, neque ad exactiones, neque ad aliqua gravamina, neque appositis & à civibus evocati ad eandem villam veniant, & ut ibi nihil exigatur præter ea, quæ ad sanguinis effusionem spectant. Ad hoc quoque ista disposui, ut idem prædium sine omni gravamine petitionis seu & mansionatici ab Advocatis permaneat, ut neque in his neque in aliis prædium illud inquietare præsumant. Idem prædium tres habet mansos & dimidium à jure Advocati penitus liberos. Statui quoque, Henrico Advocato & filiis ejus consentientibus, ut si quis aliquot mansorum in prædia collectorum repetat, Advocatus ei respondere & querimoniam etiam compescere teneatur. Et si aliquis ejusdem villæ à civibus contra civem suum causam habens Advocatum invitavit, solus ei sumptum & expensa solvat, cujus tamen sumptus suus adversarius, si in causa cecidit, particeps, reliqui cives ab hac expensa immunes permaneant; etsi in eadem causa vel alia aliquod lucrum Advocato perveniat, Præpositus jure suo particeps fiat. Consilio & utriusque partis decretum est, ut tribus civibus in anno eum quatuor equis in obsequium Advocati pareant, ita ut eadem die exeant & ad sua redire valeant, vel maximè secunda die. Similiter disposui, ut si mansi in prædio collecti, aliquo casu mediante, ad rusticos denuò redeant, Advocati ab ipsis nihil, præter antiquam constitutionem, exigant, quæ constitutio alia non fuit, quàm duo modioli de quolibet manso per omnem villam, qui duo modioli etiam vix unum Kotinensem Scephilum conficiunt. Et ut Advocatus & Successores, cui hæc omnia inconvulsa relinquunt, statuimus, & ad hoc Præpositum induximus, quòd de rebus Ecclesiæ suæ decem marcas Domino Heinricho Advocato, & filiis ejus contulit. Ad majorem quoque hujus negotii confirma-

firma-

firmationem tam Dominus Henricus Advocatus, quam filii
ejus, Conradus & Burchardus, dextris datis in fidem promi-
serunt, & ut indiscussa permaneant, quæ super his ordinavi-
mus, & scripto commisimus, & sigillo nostro signavimus.
Testes Dominus meus Abbas Hueldensis Sifridus, in cujus præ-
sentia hæc acta sunt. Liberi: Sifridus Burchgrafus de Branden-
burch, & frater ejus Comes Bedericus de Thorenburch, Albo
de Bisenrod, Conradus Burchgrafus de Arneburg, Eggehardus
de Wigeleve, Güntherus de Widesdorp, Cunradus de Makecer-
ve, Wernherus de Dolin, Baldemarus de Gluche. Ministeriales:
Cunt. de Mossife, Macharius de Dornburg, Widego de Celin-
ge, Cunradus Maras, Widego de Richowe, Iwan de Turten,
Heidentricus Stripan, Alexander de Zirpen, Cunrad. de Hon-
dorp, Johannes de Bruboje, Hermannus de Belzize, Herman-
nus de Clepzene, Güntherus de Izerzke, & alii quam plures.
Actum anno ab Incarnatione Domini M. C. XCIV. Regnante
Gloriosissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Hen-
rico VI. Præsidente Hueldensi Ecclesiæ Domino meo Venerabili
Abbate Sifrido.

§. XXXVIII. Alterum privilegium quia cum hoc ipso in plerisque con-
venit, nisi quod loco Ducis Bernardi, Sifridi, Dei gratiâ Hueldensis Ec-
clesiæ Abbatis, & in enumeratione testium Bernardi, Ducis Saxonix &
Comitis in *Aschersleve*, mentio fiat, à descriptione ejus abstinui.

§. XXXIX. Non diu tamen duravit hæc denominatio Comitatus *Aschers-
leviensis*, sed postea seculo duodecimo elegantiori vocabulo *Ascharia*; (1)
Seculo autem decimo quarto demum *Ascania* appellari cœpit. (2) Quæ
denominatio adhuc solennis est.

(1) Factum hoc est tempore Henrici, Bernardi, Saxonix Ducis Filii,
& Principis Primi Anhaltini, qui seipsum appellavit Principem in An-
halt & Comitem Ascharix, prout hoc ex sequenti sigillo patet.

Ppp 2

(2) vide



(2) videantur privilegia & Sigilla Anhaltina circa hoc tempus data. Rectè itaque scripsit Sagittarius Hist. Princip. Anhalt. c. 1. §. 5. p. 3. quia caput hujus Comitatus ac urbs primaria idioma teutonico non Ascaria, sed Ascherslebiurn vocatur, fortè an conjecturæ foret locus, Ascherslebiensem Comitatum olim audivisse, qui postea antiquiori ac elegantiori vocabulo Comitatus Ascaniæ dici cœperit.

§. XL. Recenseremus adhuc ordine Comites *Ballenstadiensis* & *Ascherslebiensis*, verum quia de his in Calendario rerum gestarum Comitum *Ballenstadiensium* & *Ascaniensium* prolixius à nobis actum fuit, illos amplius describere jam supersedimus.

§. XLI. Comitatu Ascaniensi affinis olim erat Comitatus *Warmesdorff*, qui in literis feudalibus *die hohe Grasschafft Warmesdorff* vocatur. De quo sciendum, illum nunquam Comitatum Imperii fuisse, sed tantum judicium, quod olim *Goscap* appellabatur. (1) Quemadmodum autem olim Comes nihil aliud erat, quàm judex pagi, seu Provinciæ: (2) ita Comitatus & judicium eo tempore erant Synonyma.

(1) De

(1) De hoc iudicio per antiqua charta pergamenæ anno MCCCXXXIII. data ita habet: Ista sunt bona, quæ Comes Aschariæ tenere debet ab Imperio. Comiciam scilicet in Ascharia, Comiciam in Worbez, & Comiciam in Mylinghen, iudicium, quod vocatur *Goscap* vulgari-ter, in villa Warmestorp; insuper omnia iudicia, quæ *Goscap* vocantur, quæ continentur in istis tribus comitiis superius nomina-tis. Hoc iudicium *Goscap* literæ feudales Imperatoris Caroli IV. da-tæ Ottoni Principi in Anhalt anno MCCCLXXVII. ita verterunt: Das Gericht / das dar heißt die hohe Graffschafft in dem Dorff zu Warmisdorff und alle Gerichte / die da hohe Graffschafft heißen / die da seyn in diesen dreyen vorgeandten Graffschafften. (2) vid. §. 2.

§. XLII. Sequitur nunc ordine Comitatus *Nordringensis*, cuius Brotu-fus, (1) Spangenberg (2) Entzelius, (3) Hoppenrodus, (4) & Albinus (5) mentionem faciunt, ejusque castellum, nunc *Nienburg* dictum, & juxta Salam fluvium, ubi fluvius Boda in illam se exonerat, *Northringen* olim vocatum fuisse, certissimè asserunt. (6)

(1) chron. Martisburg. p. m. 591. Hist. Heinrici I. c. 3. (2) Annal. March. veter. (3) lib. genealog. (4) in *Adels-Spiegel* p. 292. (5) chron. Misn. p. 248. 249. 405. (6) Aut. chron. Mont. Seren. p. 37. Hop-penrod. d. l. p. 64.

§. XLIII. Verum Comitatus hic *Nordringensis* incertus est, nulloque legitimæ antiquitatis suffultus testimonio. Nimirum prædicti auctores, dum in diplomatis legerint, castellum *Nienburg* olim in pago Northuringiæ, in Comitatu hujus vel illius Comitis, situm fuisse, (1) per pagum non Pro-vinciam, sed villam tantum intellexerunt. Erroris inde nata est occasio, ut castellum illud *Northringen*, & Comitatum, sub cuius imperio illud erat, Northringensem pariter appellaverint. Deinde Comitatus ille nunquam hæreditarius fuit. Quamvis enim Albinus (2) referat, Marchionem Chri-stianum, (3) Tietmari (4) Patrem, cum uxore sua Hidda, Marchionis Geronis sorore, Comitatum *Nordringensem* dotis nomine accepisse: illud tamen ex antiquis Monumentis demonstrare nequit. Nunquam enim Marchio Christianus in Comitatu illo pagi Northuringiæ, in quo *Nienburg* situm erat, Comes fuit, sed in aliis, uti inferius patet. (5) Castellum au-tem *Nienburg* cum omnibus villis Marchio Gero jure hæreditario possedit, qui etiam illud anno 15CCCCLXI. (6) Ecclesiæ Gerenrodensi donavit. Cum verò Marchio Tietmarus anno 15CCCCLXXV. Congregationem Monachorum de *Danckmarisvelde* (7) in *Nienburg* transferre vellet, ca-stellum illud à prædicta Ecclesia IV. villis redemit (8)

(1) De hoc castello quam plurima diplomata in chronologia Abbatum Nienburgensium allegavi, in quibus omnibus ita legitur: Castellum Nienburg in ripa fluminis Salæ, pagoque Northuringia situm. (2) chron. Misnic. p. 245. (3) De hoc Marchione Lusatiae videatur inferius. (4) Hic Marchio Tietmarus cum fratre suo Gerone, Archi-Episcopo Colonienſi, anno 1035. Abbatiam Nienburgensem fundavit. (5) vid. §. 58. (6) Autor chron. Montis seren. p. 37. Hoppenrod. Annal. Gernrod. Ex quo apparet, castellum hoc, priusquam Marchio Tietmarus emit, Nienburg dictum fuisse. Diploma Ottonis II. super illam translationem vid. inferius §. 58. Fuit autem Danckmarisveld in confinio castri Anhalt., juxta Aut. chron. Mont. ser. c. l. (8) De hoc Auctor. chron. mont. ser. p. 37. ita habet: *Verum quia castrum idem, quod tum Northringen dicebatur, de hereditate fuit Geronis Marchionis Avunculi ipsorum (Tietmari scilicet & Geronis,) quam ille totam Deo tradiderat, datis pro eo Ecclesiae Gernrodensi IV. villis, quæ omnes uno nomine Polige vocantur, ipsum redemerunt.*

§. XLIV. Pergimus nunc ad illos pagos, qui Salæ, Albis, Mildæ, & Vohnæ fluviorum circumscribuntur ambitu, & vocantur *Grimmerslevo, Nizizi, Serimunt & Koledizi.* De singulis ordine.

§. XLV. *Pagus Grimmerslevo.* Castellum, Slavonicè quondam *Budizko,* germanicè *Grimmersleben* (1) dictum, denominationem huic pago tribuit. Situm autem fuit juxta Salam è regione castelli *Nienburg,* & rudera ejus adhuc demonstrantur.

(1) Autor. chron. Mont. Seren. vocat castellum hoc *Grimmisleve* p. 37.

§. XLVI. Anno 1039. Otto Imp. II. triginta mansos regales in pago *Grimmerslevo* sitos, Monasterio Nienburgensi resignavit sequente diplomate.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto, divinâ favente Clementiâ Imperator Augustus. Quanquam sobriis ac piis nostrorum fidelium petitionibus quibuscunque obsequi satis tutum est apud Deum, tantò tamen divina hæc caduca præponderant, tantò plus in hoc, quod animæ nostræ credimus profuturum, salubribus suggestionibus est obsequendum. Quapropter, ob interventum Dilectæ Conjugis nostræ *Theophanæ,* atque *Adalberti,* Magadaburgensis Ecclesiae Archi-Episcopi, nec non *Bernhardi* Comitis, Ecclesiae cuidam in castello *Nienburch* dicto

dicto fitæ, Sanctæque Dei Genitricis Virginis semper Mariæ & omnium Dei Electorum in memoriam consecratæ atque constructæ, pro remedio animæ nostræ, Ejusdemque Conjugis nostræ, pro statu etiam & incolumitate Imperii nostri, simul etiam quia eandem Ecclesiam petitionibus quorundam fidelium nostrorum, Geronis scilicet Archi-Episcopi, ejusque Germani Thiemonis Comitis, cum omnibus suis attinentiis in nostrum suscepimus mundiburdium, sub suo antea jure consistentem, nec non etiam Monachorum inibi DEO famulantium regulariter, vel per tempora succedentia famulorum, usibus, triginta regales mansos in locis subnotatis donamus, in castello scilicet quodam, Slavonicè quondam *Budizco*, nunc autem theotonicè *Grimmerslevo*, in pago *Grimmerslevo* sito, quod olim usque ad tempora beatæ memoriæ Genitoris nostri Imperatoris, sub comitatu *Rathi* scilicet Comitum fuit: *Prudna*, *Letarizic*, *Popovvizic*, legaliter determinandos, ita ut si quid in his locis summæ mansorum prælibatæ defuerit, contiguis ac proximis procul dubio suppleatur cum omnibus scilicet familiis inibi manentibus, & mancipiis utriusque sexûs, terris cultis & incultis, pratis & pascuis, aquis aquarumque omnigenis utilitatibus, silvis, ædificiis, exitibus & redditibus, quæsitis & inquirendis, atque cunctis eo loci rebus & utilitatibus pertinentibus, & ex nostro jure in ipsius Ecclesiæ transfundimus hæc omnia jus ab eo, qui modò est, Abbate, ejusque Successoribus tractanda, ac, prout sibi visum fuerit, filiorum suorum spiritualium usibus auctoritativè impendenda. Et ut hoc nostræ auctoritatis edictum nostrorum fidelium præsentium ac futurorum sollertiæ pateat, nec non etiam stabile per temporum succedentium momenta permaneat, hanc cartam nostrâ jussione conscriptam atque signatam, connexis etiam nostri nominis literis, subrus quodam caractere per obliquum ducto more nostro firmavimus, in pago *Grimmerslevo* in Comitatu *Thiemonis* scilicet *Comitis*.

Signum

Signum Do-
mini Ottonis
piissimi



atque invictif-
simi Imperato-
ris Augusti.

Hildiboldus Archi-Capellanus ad vicem Willigisi Archi-Capel-
lani notavi. Data autem XV. Kal. Maj. anno Dominicæ Incar-
nationis DCCCCLXXVIII. Regni verò XVIII. Imperii au-
tem XI. Indictione VI. Actum Alstedi in Domino feliciter
Amen.

§. XLVII. Sequenti anno idem Imperator Otto priori donationi octo
villas partim ad pagum *Grimerslevo*, partim ad pagum *Sirmuti*, in vici-
nia prioris situm, pertinentes adjecit, & sequenti scriptura confirmavit.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto, divinâ fa-
vente Clementiâ Imperator Augustus. Cùm nostri sit officii,
in quo divinæ dispositionis largitate vicem regentis gerimus, sum-
ma devotione, summo studio nostris facultatibus in utroque in-
cremento Ecclesiis Dei prodesse, atque inibi Deo militantibus
corporis alimoniis, in quantum Deus ipse Nobis possibilitatem
donaverit, suffragari, ne ex inopia, ut solet, servitus Dei torpe-
scat, Volumus caritati omnium fidelium nostrorum patere, tam
præsentium, quam post futurorum, Qualiter Nos, ob spem fu-
turæ retributionis, de rogatu Dilectæ nostræ Conjugis *Theopha-
na*, jam olim quoddam castellum, *Grimerslevo* nuncupatum, in
pago *Grimerslevo* situm, cum XXX. mansis regalibus ad idem
pertinentibus, Monasterio, sub Sanctæ Dei Genitricis Mariæ
patrocinio in *Nienburg* constructo, ubi Sala & Boda se miscendo
vicissim stabili federe maritant, nostrâ Imperiali auctoritate per-
petim mancipavimus, & quod tunc de eodem castello *Grimers-*

levo

levo theotonicè, Sclavonicè *Budizco* nominato, jure ac legaliter pertinens ad illud remansit non datum, ex toto & integro, excepto quod Genitor noster aut Nos alicui antea per præceptum donavimus, modo ejusdem nostræ Conjugis frequentia assidua petitione, ad prædictum Monasterium perpetualiter delegamus atque concedimus. Ac ut nullus error huic nostræ concessioni occurrat, concessarum decrevimus nomina scribi villarum, quarum nunc nomina nominare possumus, scilicet castellum *Berneburg*, *Widogasti*, *Predertti*, *Bedosiki*, *Lufokovviki*, *Cossavviki*, *Scrobouveki*, *Malovvodi*, *Pezodulta*, *Amoconthorp*, *Zlubusiki*. Hæc scilicet bona, & insuper quicquid ad prædictum jam castellum nominari, vel inveniri ad illud pertinens in aliqua utilitate valet, tam in utriusque sexûs mancipiis, quam in agris cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, venationibus, viis & inviis, exitibus & redivibus, quæsitis & inquirendis. In Comitatu pueri Geronis in pago *Sirmuti* in perpetuum proprietatis usum ad præscriptum Sanctæ Mariæ Monasterium damus atque concedimus. Et ut hoc verius credatur, & ab omnibus diligentius observetur, hanc chartam scribi, eamque nostræ imaginis impressione jussimus sigillari.

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti.

Hildiboldus Cancellarius ad vicem Willigisi Archi-Capellani notavi.

Data V. Non. Mart. ann. Dominicæ Incarn. DCCCCLXXVIII. Regni Ottonis secundi XVIII. Imperii autem XII. Indiçt. V. Actum in Thornburg, in Christi nomine feliciter Amen.

§. XLVIII. Ceterum priusquam ad ipsius pagi *Grimmerslevo* Comes abeamus, de castello *Bernburg*, quod ad pagum *Grimmerslevo* olim pertinuit, nonnulla præmittere decrevimus.

§. XLIX. *Bernburg* olim *Berneburg* scribebatur, (1) id quod quamplura diplomata commonstrant. Ditmarus *Bernaburg* vocavit. (2) An autem burgum, seu arx ista nomen ab *Urso*, vel *Ursinis* (*die Bärenburg*) acceperit, (3) valde dubito. Majores enim Cellissimorum Principum

Qqg

Anhal-

Anhaltinorum, *Beringeri* dicti, illam nec ædificârunt, nec ab initio statim jure hæreditario possederunt.

(1) Aut. chron. Montis seren. p. 16. Heineb. Meibom. Rer. Germ. T. II. p. 266. (2) chron. p. 79. (3) M. Abrah. Saur Theat. urbium p. 274.

§. L. Imperator autem Otto III. *Bernburg* primum extruxit, & ad Marchionatus dignitatem adversus Slavos anno circiter 1555. exivit. (1) Primum Marchionem ibidem collocavit Lotharium III. Comitem Walbeccensem. (2)

(1) Ditmarus chron. p. 79. 268. (2) ibid. Heineb. Meibom. not. ad Lerbecc. item chron. Walbeccens. p. 31.

§. LI. Anno 1556. VI. Non. Jul. Marchionis Lotharii absentia, & Giselharii Archi-Episcopi Magdeburgensis socordia, Slavi castellum *Bernburg* expugnarunt & incenderunt. (1) Hinc Marchio apud Imperatorem vehementer accusatus est, imputatam autem culpam juramento purgavit. (2) Circa annum 1557. VIII. Kal. Febr. veneno occubuit. (3)

(1) Ditmar. chron. p. 79. Meibom. chron. Walbec. p. 31. (2) Ditmar. d. l. p. 80. Meibom. d. l. (3) Ditmar. d. l. p. 172.

§. LII. Post Lotharii obitum filius *Wernherus*, ex concessione Imperatoris, Marchionatum *Bernburgensem* retinuit. Mater enim ejus nomine *Godila*, Marchionatum prædictum cum ducentis talentis ipsi acquisiverat (1) Postquam autem *Wernherus* anno 1558. Dedonem II. Marchionem Misniæ interfecisset, Imperator ejus Marchiam, & quicquid ab Imperio habuit, *Bernhardo*, Comiti Ballenstadiensi, in feudum dedit. (2)

(1) Ditmar. d. l. p. 173. Meibom. chron. Walbec. p. 32. (2) Ditmar. d. l. p. 151. 152. Aut. chron. Montis seren. p. 201. seq.

§. LIII. Comes hic *Bernhardus* fuit Filius Alberti V. Comitis Ballenstadiensis, cujus frater Albertus VI. uxorem duxerat *Titburgam*, filiam occisi Marchionis *D.* donis. (1) Hoc modo *Bernburg* cum reliquis villis ad Anhaltinos pervenit.

(1) Andreas Angelus Annal. March. Brandenb. L. II. p. 68. chron. Montis seren. p. 202. *Bernhardum* vocat Avunculum *Tidrici* Marchionis, filii interfecti *Dedonis*.

§. LIV. Consideratâ origine Civitatis *Bernburgensis*, pergimus ad Comites pagi *Grimmerslevo*, quorum nonnulli *Rath* nominati, (1) à Comite quodam Thuringiæ & Austrasiæ, etiam *Rath* dicto, ortum traxerunt. (2)

(1) De his Comitibus vid. diploma §. 46. (2) vix temporibus *Clotharii* II. Regis Austrasiæ, à quo non solum ut Comes Thuringiæ & Austrasiæ impositus, sed etiam, solenni Francorum more, Major Domus decla-

2
Dionysius!
null. vici. Graf
v. Plotzau

declaratus fuit. De quo Cyriac. Spangenberg. chron. Saxon. c. 66. Querfurtens. autem p. 49. Rivander chr. Thuring. p. 59. Casp. Saggiar. Antiquit. Ducat. Thuring. p. 19. Schurtzfleisch. disp. de Regno Austrasiæ §. 13. & Petr. Albin. specim. hist. Thuring. nov. legi possunt. Hujus Comitis filius à prædicto Rege Clothario in bello contra Sorabos factus est anno 10CXVIII. Præfectus castelli propè fluvium Salam Slavonicè Budizco, germanicè Grimmerslevo dicto, prout hoc ex MS. Thuring. sequentibus verbis patet: Anno 10CXVIII. designavit Rex Clotharius Comitis *Rath* filium Præfectum castello Grimmerslevo contra Sorabos. Ex hoc per antiquo stemmate progenita est Serenissima Princeps ac Domina, Domina *Gisela Agnesa*, Princeps Anhaltina, Dux Saxonix, Angriæ & Westphaliæ, Comes Ascaniæ, & Nienburg, Domina Servestæ & Bernburgi &c. Serenissimi Principis Anhaltini Domini *Emanuelis Lebrechti* conjux, prout hoc in peculiati tabula genealogica ex quam pluribus antiquis literis demonstravimus. Notatu verò hic tam dignum, quam quod dignissimum, quòd sicut Generosissimus antiqui hujus stemmatis generosi Autor & Sator Comes *Rath*, qui Comitibus in Thuringia & Austrasia non sine summa gloria præfuit, in Francia ad regiam ferme Majoris Domus dignitatem fuit evectus; ita ex feris posteris Generosissimi hujus Viri Serenissima nostra prognata, in dulcissimum vitæ thoricque consortium à Serenissimo Principe adscita, & ab Imperatore Leopoldo Comes de Nienburg salutata, MAJOR DOMUS hujus Generosissimæ quoque facta est. Faxit Deus Ter. Opt. Max. ut in Illustrissima hac dignitate, quam Dei gratiâ obtinuit, unâ cum Serenissimo Principe usque ad extremum vitæ halitum feliciter, tranquillè, quid? quod beatè vivat vigeatque.

§. LV. Comitibus prædictis successit in pago *Grimmerslevo* Marchio Thiemon, (1) (qui in aliis Diplomatis etiam Tietmarus audit,) ex familia Witichindea ortus. (2) Patrem habuit Christianum, Marchionem secundum Lusatix (3) post cujus obitum etiam ille Marchionatum accepit. (4)

(1) Vid. §. 39. (2) Albin. chron. Misn. p. 119. 249. 405. Brotuf. chron. Martisburg. p. 591. (3) Aut. chron. Montis sereni p. 56. qui Marchionem nostrum Dithmarum vocat. Albin. d. l. p. 405. Peucer. chron. Carion. p. m. 558. Spangenberg. im Adels Spiegel p. 314. b. (4) ibid.

§. LVI. Anno 10CCCGLXX. Marchio hic cum Fratre suo Gerone, Archi-Episcope Colonienfi, Monasterium in Thanmaresfeld (1) propè Hartzgerodam, in honorem Sanctæ Mariæ Dei Genitricis condidit, (2) ei que multa bona adscripsit. De eo docemur ex sequenti privilegio.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris Domini nostri JESU Christi Spiritûsque Paraleti. Si quis egenis pauperibus Christi, hereditario sibi ex jure cedentibus, maximè que Ecclesiis Dei contribuerit, centeni fructus cum multiplicatione omnium ex Remuneratore regno immarcessibili in cælis remunerandum, credentibus liquet manifestatissimè univèrsis. Quapropter *Gero*, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, germanusque ejus *Thietmarus* Marchio, tam felicem diu animo moventes remunerationem, quod cunctorum Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium præsentium, sed & futurorum solerti industriæ hac sub prænotatione innotescere fecimus; quam equidem in *Thangmaresfeld* habuerint mancipiis, campis, silvis, aquis, ad Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in eodem loco constructæ, & monachis ibidem Deo servientibus ad sumtum necessaria totum & integrum tradiderunt. Adhæc etiam in *Asmereslove* & *Linthorpe* quod habuerunt mancipiis, letilibus, campis, pascuis, silvis, aquis, excepto uno territorio Venatoris, venatoris *Hugibaldi* & tempore addentes, donavere in *Huodenstedin* etiam, quod possederant, campis, pascuis, aquis, mancipiis, & illud apposuerunt *Oster Salthusen* in *Stasfurd*, cum mancipiis, campis, pascuis, aquis, piscationibus, & salis operibus eidem subdidere Ecclesiæ, & quicquid ibi hereditariè habuerint in campis, mancipiis, pascuis, pratis, aquis, piscationibus, piscium etiam decimationem in *Milda*, & ceterarum ibidem discurrentium aquarum, quam potestativè detinuerunt, in eleemosinam parentum animarumque eorum totum & ad integrum præfatæ ditioni Ecclesiæ contradiderunt. Si quis extraneus vel coheredum eorum aliquis, vel ipsi, quod absit, præfatæ Sanctæ Dei Genitricis Ecclesiæ irrogare, & hanc traditionis cartam infringere conaverit, obscurent oculi ejus, ne videat lumen, & ut se deliquisse cognoscat, libram auri regie censuræ persolvat, & quod reperit insuper vindicare non valeat. Actum publicè in prænotata Ecclesia IV. Kalend. Septembr. anno ab Incarnatione Domini nostri JESU Christi DCCCCLXX. indict. XIII. Regnantibus

bus Divis Augustis Ottone, ejusque Nobilissima prole, parentem nomine ferente, Imperii majoris XI. Regni autem XXXVI. Minoris quoque Imperii VI. Regni verò ejus anno XI. in Dei nomine feliciter.

Signum Domini Geronis, Coloniensis Ecclesie Archiepiscopi, Germanique ejus Thietmari Marchionis, qui hanc traditionis cartam fieri fecerunt.

Signum Ramhardi,	Signum Ado.
Signum Liudherii,	Signum Maco.
Signum Folradi Diaconi,	Signum Adalmardi,
Signum Adelolfi,	Signum Wermhardi,
Signum Werinheri Sub-Diaconi,	Signum Theodolfi,
Signum Beremmardi Subdiac.	Signum Altvati.
Signum Friderici.	Signum Rutholdi,
Signum Folcmari.	Signum Thancwini,
Signum Thiederici.	Signum Thancheri.
Signum Burchardi.	Signum Godico.
Signum Adaldagi.	

Ego indignus Guntrannus nomine, non dignitate Diaconus, hanc traditionis cartam scripsi & subscripsi.

(1) In diplomatis quibusdam Thangmarasfeld, ab autore verò chron. Montis fereni p. 36. vocatur Danemarisvelt. (2) De hac fundatione prædictus autor ibi ita loquitur. Hi fratres (scilicet Gero, Coloniensis Archiepiscopus, & Dithmarus marchio) & mater ipsorum, defuncto Patre, fundaverunt monasterium in honorem Dei Genitricis in loco, qui Danemarisvelt dicitur, & est in confinio castri Anhalt, congregatis ibi Fratribus, Deo juxta regulam B. Benedicti servantibus, & præposito eis Abbate, qui Hageno dicebatur, quem etiam Imperatoris consanguinitas illustrabat.

§. LVII. Hoc monasterium in Thancmaresfelde Joannes XIII. Pontifex confirmavit indictione XV. quæ incidit in annum 1000. Singularem autem de eo conscribi fecit bullam, quæ sequentibus verbis concepta est.

Q99 3

Joan-



Joannes Episcopus, servus servorum Dei. Creditæ specula-
 tionis impellimur cura ac ardore christianæ religionis, & stu-
 dio divini cultus permovemur, pro Venerabilium locorum per-
 cogitare stabilitatione atque Deo servientium securitate: &
 hoc pro animæ pio labore, ut animæ Christo dicatæ; quæ si illi
 diebus eorum servire decreverunt, perseverent imperturbatæ,
 nec non & illa maneant finetenus firma, quæ à christianis in
 Dei laude contracta sunt. Dilectus ac spiritualis filius noster
 Gero, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, limina
 Apostolorum dignâ devotione visitans, ac nobiscum plurima
 in statu religionis communicans, retulit, se fratremque suum
 Tietmarum Marchionem, Christi admonitos amore, quendam
 locum in honore Sanctæ Mariæ semper Virginis instaurâsse, &
 in eo Monachorum regulam Sancti Benedicti observantium, ad-
 didisse officiis. Hujus loci ac religionis nostro suffragio ac
 privilegio paratam stabilitatem fieri humiliter exposulavit. Cu-
 jus petitioni annuens, Apostolicâ auctoritate statuimus, quod
 eidem loco ac congregatio fratrum, sine alicujus potentia, divi-
 no ministerio instare liceat. Nec Episcopis, vel potestati eo-
 rum in aliquo intermittere, vel retrorsum distrahere liceat: sed
 ea, quæ modò habent, vel habituri sunt, Abbas eorum cum Mo-
 nachis ordinanda constituat, nulli quicquam cujuslibet obsequi
 debeant, præter tantum pro christianis divinam orationem.
 Imperatorem defensorem appellent, ac piæ inter se electo Ab-
 bati procurationem commendent. Solum religionis statum
 Episcopis, si intersit, requirat. Huic, si fortè labatur, corri-
 gendo adsit. Ceterum de servitio aliquo immunem relinquat
 ipsum locum. Advocatum de ipsa progenie, si fortè in bonum
 faveant, eligant. Sin autem vim aut incommodum inferre mo-
 liuntur, ubi ubi sibi placent, timentem Deum ac stabilitati fa-
 ventem securè perquirant. Si quis autem hanc nostram aui-
 ctortatem violare temptaverit, anathematis vinculo adstrictus
 gehennæ tormenta sine fine se subire dolebit. Scriptum
 per

naol

E PPO

per


per manum Stephani, scriptoris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in Mense Januariō indictione XV. Data octavo Kal. Januar. per manum Witloni Episcopi & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, anno Pontificatûs Domini Joannis Sanctissimi XIII. Pape VII. Imperii Domini Ottonis Majoris X. Junioris IV. indictione quintadecima.

§. LVIII. Marchio Tietmarus, unâ cum fratre suo prædicto Gerone, promovit translationem Abbatia, propter asperitatem *Thancmaresfelt*, castellum Nienburg in ripa fluminis Salæ pagoque Northuringiæ situm, anno 1000 CCCCLXXV. (1) Sed Abbas Hageno remansit, & Præposituram ibi erexit, quam *Hagenrode* de suo nomine appellavit. (2) Translationem hanc confirmavit Imperator Otto II. eodem anno sequenti diplomate. (3)

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto, divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & absentium, industria, Qualiter Gero Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, ac Thietmarus Comes, ipsius verò germanus, in loco quodam *Tangmarasfeld* dicto, pro suorum Parentum in Christo defunctorum, nec non etiam propriæ futuræ retributionis, in ipso Monasterium, in memoriam & honorem Sanctissimæ Gloriosissimæque Genitricis Dei Virginis semper Mariæ, ritu Monachici Ordinis constructum, nostro mundiburdio perperim Imperiali nostra potestate tutandum tradiderunt. Quibus ac compluribus Christi fidelibus, cùm loci ipsius asperitas, ac omnigena incommoditas inibi Christo militantibus obstare videretur, placuit suprâ memoratam Ordinis Monachici religionem, nostro Episcoporumque complurium consensu, inprimis Archi-Præfulum *Adalberti*, *Willigisi*, nec non & aliorum, *Annonis*, *Brunonis*, *Hildimundi*, *Milonis*, *Hugonis*, ac *Vocconis*, in castellum quoddam *Nienburg* dictum, in ripa fluminis Salæ, pagoque Northuringa situm, transferri, nostroque priore cum suis pertinentiis huic addicto loco munimini subdi. Quapropter cùm
hoc

hoc sit Christo maximum ac saluberrimum nostri Ordinis officium, pro augendo tuendoque Ecclesiarum honore pro viribus desudare, piis nostrorum petitionibus adquiescentes, Fratribus supra memorati castelli liberum electionis arbitrium concessimus, ut, quoties fortis humanæ conditio honorem ordinem mutaverit, habeant potestatem sine cujusquam contradictione, inter se eligendi, quem divinæ dispensationis gratia decreverit ac demonstraverit eligendi Pastorem. Nec non etiam ejusdem loci Abbates, cum omnibus ad sui regiminis Ecclesiam jure pertinentibus, debito totius mundanæ servitutis absolvi- mus, Imperialis nostræ Majestatis auctoritate sancientes, eò, quo ceteri Abbates, jure ordineque suis subditis præesse, nec cuiquam personæ quicquam omninò famulatus debere, sed tantum illius synodale præceptum respiciant, in cujus Dicecesi Christo militare videntur. Et ut hoc præceptum, nostri juris auctoritate fulcitum, firmum tam nostrâ quàm Successorum nostrorum ætate stabileque permaneat, hanc cartam conscribi annulique nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus.

Signum Domini
Ottonis



Magni Imperatoris
Augusti.

Folcmarus Cancellarius vice Willigisi Archi-Cancellarii notavi.
Data V. Kal. Julii año Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXV.
indict. III. anno verò Regni Domini Ottonis XV. Imperii au-
tem VIII. Actum Magadaburg in Dei nomine feliciter
Amen.

(1) De

(1) De hac translatione Auctor chron. Mont. seren. p. 37. ita scribit: Tempore itaque Ottonis II. Imperatoris anno Domini DCCCCLXXV. Dithmarus Marchio & Gero, Coloniensis Archi Episcopus, congregationem suam de Danckmaresfelde transtulerunt in castrum Nortringe, quod nunc Nienburg dicitur, ipsamque Ecclesiam, ut firmiori eam stabilitate promoverent, Imperiali Majestati pro tuenda ejus libertate tradiderunt. (2) Et paulo post: Abbas verò ille Hageno cum aliis transferri non consensit, sed Deo potius in solitudine servire volens, in loco priori remansit. Erat circa locum ipsum venatio publica Imperatoris. Cum itaque Imperator aliquando ad locum ipsum venaturus venisset, ibi praedictum Abbatem reperit, cujus auditâ intentione & laudatâ, locum quendam ejusdem solitudinis ad incolendum ibi dedit ipsi, quem ille *Hagenrode* de suo nomine appellavit. Et est hodie Præpositura attinens Ecclesiæ Nienburgensi. (3) Ibidem. §. LIX. Obiit Marchio Thietmarus anno DCCCCLXXVIII. (1) Sepultus in Monasterio Nienburgensi à se condito. (2) Uxorem habuit Swanhildam, (3) Hermanni Billingi, Saxoniae Ducis, filiam, (4) ex qua genuit Geronem Marchionem pariter Lusatiae, (5) qui in bello occisus anno CI, XV. in eodem Monasterio humatus est. (6)

(1) Albin. chron. Misn. p. 406. Hoppenrod. lib. genealog. pag. 60.

(2) in lapide sepulcrali, qui priscis temporibus in medio templi Monasterii Nienburgensis ante chorum situs, nunc prope altare erectus conspicitur, olim sequentes versus æneis literis inscripti legi potuerunt:

Dietmarus cum Filio.

Marchio Misnensis, pro tunc Dominus Lufazensis,
claustrum fundavit, dotavit, nos quoque pavit,

voce sub humana, sit ut hic laus cottidiana.

In Christi cultum salvet cum prole sepultum.

Hæc pro dote piæ pater obtulit ultrò Mariæ.

Hi Fundatores nunc in cœlis quasi flores

Splendescunt verè, claustro qui tanta dedere.

Abbas Heinricus, certè pietatis amicus,

hoc opus insigne dedit illis valde benignè.

Anno Domini M. CCC. L. in die Beati Ambrosii completum est hoc

epitaphium. In monumento hoc lapideo Tietmarus malè vocatur

Marchio Misnensis. Talis enim nunquam fuit. (3) ita in Diplomatis

vocatur, prout passim ex chronologia Abbatum Nienburgensium &

Autore chron. Montis sereni p. 38. seq. patet. Sagittarius verò Hist.

Eccardi I, sect. XVIII. §. 1. 4. cum Ditmaro L. V. p. 118. Swonchildam

R r r

nominat.

nominat. (4) Autor chron. Mont. seren. d. l. sagittar. d. l. (5) Idem. Malè itaque Hoppenrodus lib. genealog. p. 60. Marchionem hunc sine prole defunctum fuisse refert, cum tamen in Annalib. suis Gernrodens. Marchioni Tietmaro filiam attribuat, Alheidem (Adelheidem) dictam, secundam Abbatissam Gernrodensem, Entzelius Annal. March. veteris & Laurent. Faustus in *Jürstlichen Stamm-Baum* p. 106. addunt Dethmarum II. (6) Ditmar. L. VII. p. 195. Sagittar. hist. Eccardi II. sect. IX.

§. LX. Pergimus ad pagum *Nizizi*, qui pago *Grimmerslevo* versus plagam australem finitimus erat.

§. LXI. Pagus *Nizizi* inter Salam & fluvium situs erat. Fit ejus mentio in Diplomate Imperatoris Ottonis III, quod dedit Monasterio Nienburgensi super quatuor mansos regales. Ipsa diploma hæc conceptum est formulâ.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto, divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si sacra & venerabilia loca augmentare studeamus, nostri Imperii augmentum animæque nostræ præparare minimè dubitamus. Quapropter omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus, præsentibus atque futuris, notum esse volumus, Qualiter Nos, ob interventum Dilectæ Sororis nostræ *Sophiæ* ac *Frederunæ* Comitissæ, dedimus cuidam Monasterio in civitate Niienburg, in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ constructo, quatuor mansos regales in pago *Nizizi* nuncupato, & burchwardio *Suselzi* sitos, tres in villolis *Gothzizi* & in *Wissirobi*, (*Wiesleben*) unum verò in burchwardio *Plazike* (*Plöße*) cum omnibus mancipiis utriusque sexûs illuc jure pertinentibus, & si aliquid plus ad Nos pertinens in eisdem inventum fuerit, de culta terra, cum omnibus prædictorum mansorum campis, pratis, pascuis, silvis, molendinis, venationibus, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis, exitibus & redivibus, quæ sitis & inquirendis, aliisque utensilibus, vel appendiciis, quæ adhuc dici vel nominari possunt, in proprium tradidimus. Et ut hæc nostræ donationis auctoritas firma & inviolabilis perseveret, sigilli nostri impressione signari jussimus, manûque propriâ, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum

Signum Do-
mini Ottonis

Invictissimi
Imper. Aug.



Hildiboldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archi-
Episcopi recognovi. Data XV. Kal. Jun. anno Dominice Incar-
nationis DCCCCXCVI. Indictione X. Anno vero tertii Ot-
tonis regentis XIII. Imperii autem primo. Actum Merfiburg
feliciter *amiv.*

Rrr 2

§. LXII.



§. LXII. Quò annò defierit hujus pagi *Nizizi* appellatio, non ita exactè definiri potest. Hoc tamen ex antiquis litteris apparet, Comitatum ejus seculo decimo hereditarium factum, & à primario ejus castello *Plötzke* dictum fuisse Plötzkensem.

§. LXIII. Primus Comes erat (1) Theodoricus, Ottonis divitis, Comititis Ballenstadiensis, & Marchionis Soltwedelensis, filius primogenitus, (2) qui post mortem Meinfridi, Conradi, Comititis Walbeccensis, fratris consanguinei, Burggravio quoque evadebat Magdeburgensis. (3) Uxore Mechtilda, Conradi Comititis Walbeccensis & Burggravii Magdeburgensis filia, (4) genuit Conradum (5) & Hilpericum (6) ut & Irmegardam, (7) primum Udonis, Marchionis Stadenfis (8) post Gerhardi, Comititis Heinsbergensis, (9) conjugem.

(1) M. Andreas Angelus Annal. March. Branlenb. L. II. p. 86. & Hoppenrod. in libr. genealog. p. 70. ex antiquo chronico Saxoni co referunt, ante Theodoricum duos jam Comites Plötzkenses fuisse, Helfridum scilicet & Hermannum, Burggravium pariter Magdeburgensem, prædicti Theodorici Patrem. Verum illo ævo nullus Hermannus Burggravio Magdeburgensis fuit, prout hoc ex Peucero in chron. Carionis L. V. p. m. 812. Spangenberg. *Adels-Spiegel* L. X. c. 20. p. 318. b. & chron. MS. civitatis Magdeburgensis, ab Heinr. Meibom. chron. Walbec. p. 37. allegato apparet. (2) Vid. Autor. Vindiciar. Anhaltin. tab. genealog. lit. B. Theodoricum hunc fratrem fuisse Alberti Uisi, & Filium Ottonis divitis, testatur etiam Diploma Wichmanni, Archi-Episcopi Magdeburgensis, Monasterio Nienburgensi datum, de quo chronologia Abbatum Nienburg. videri potest. (3) Peucerus d. l. Spangenberg d. l. & prædictum chron. Magdeb. (4) Spangenberg d. l. Aut. Vindic. Anhaltin. d. l. (5) De hoc Conrado sequens §. agit, (6) ab Andrea Angelo d. l. & Hoppenrodio lib. geneal. p. 70. malè Heinricus, à Spangenbergio verò d. l. *Helfrich* & *Helfried* vocatur. (7) Eringart audit Andrea Angelo d. l. & Hoppenrodio d. l. Ermgart verò Spangenbergio d. l. Hujus Irmegardæ meminerunt quoque Aut. chron. mont. seren. p. 26. & Alb. Stadenfis p. 271. hisce verbis: Ermgarda fuit soror Helprii, Comititis de Ploceke. Præter hanc Irmegardam chron. MS. Magdeburgense adhuc unam Theodorico attribuit filiam Adelheidis dictam. (8) Alb. Stadenfis p. 336. Peucer. d. l. Spangenberg. d. l. Hoppenrod. d. l. And. Angelus d. l. Heinr. Meibom. in chron. Marienthalensi. (9) De hoc Gerardo Heinr. Meibom. in prædicto chronico ita scribit. Gerhards, Comes Hinsbergius, uxor Irmegardis, Theodorici, Comititis Plocen-

Plocensis, filia, Helprici Soror, vidua Udonis, Marchionis Staden-
denfis.

§. LXIV. Patri successit Conradus, (1) Marchionatu Brandenburgensi
simul auctus, anno CI^oCXXX. post mortem Heinrichi, Marchionis Staden-
fis. (2) Sicque primus ex antiqua familia Comitum Ascaniæ & Ballenste-
ti titulum & insignia Marchiæ Brandenburgensis accepit. (3)

(1) De hoc Conrado Sagittar. in hist. Marchiæ Soltwedelensis §. 47.
doceri maluit, quis ille fuerit. (2) Juxta Albertum Stadensem ad an-
num CI^oCXXX. scribentem: Principatum Heinrichi Marchionis su-
scipit Conradus, filius Avunculi ejus. Erat autem Heinrichus filius
Udonis, Marchionis Brandenburgensis & Stadenfis, ex Irmengarda,
Comite Plocensi, ac Conradi sorore genitus. Quapropter Conradus
Heinrichi Avunculus vocatur. Brotuf. Genealog. Anhalt. L. II. c. I.
Spangenb. chron. Saxon. c. 218. Andr. Angelus p. 76. & alii Conradum
hunc disertè appellant Comitem Plotzkensem, & Marchionem Bran-
denburgicum. (3) Hoc modo Imp. Heinrichus V. Ottoni diviti Mar-
chiam Brandenburgicam non contulit, prout Wolfgang. Justus in
Geneal. Marchion. Brandenb., David Ghytraus in Saxonia & non-
nulli alii scripserunt. Otto tamen partem Marchiæ Brandenburgicæ
& potissimum Soldwedelensem agrum possedit. prout hoc ex Krantzii
Wandal. L. III. c. 17. demonstrari potest. Unde postea ipsi, multò
autem magis ejus filio Alberto Urfo, Marchionum Soltwedelensium
nomen adhæsit.

§. LXV. Marchio Conradus in itinere Romano sagittâ ictus periit, in
cœnobio Hecklingensi terræ mandatus; (1) qui cum ex Agnete, Friderici I.
Comitis Sommerseburgii ac Palatini filia, (2) nullos suscepisset liberos,
Bernhardum patruelem successorem designavit in Comitatu Plotzkensi, (3)
Marchionatum verò Brandenburgensem Albertus Urfus accepit (4)

(1) Hoc factum est anno CI^oCXX. De quo Aut. chron. mont. seren.
p. 12. ita scribit: Conradus, Marchio de Plotzke, in Italiam cum Rege
pergens, sagittâ transfigitur; cujus corpus in patriam delatum, se-
pultum est Kakelinge cum parentibus suis. Spangenberg. in chron.
Sax. c. 218. & Bunting chron. Brunsvic. edit. Meibom. p. 129. id fa-
ctum volunt annò CI^oCXXXII. (2) ut habet Heinr. Meibom. in
chron. Marienthal. Agnes (Filia Friderici Senioris) ducta est à Con-
rado, Theodorici Comitis Plocensis F., Marchione Brandenburgico.
(3) Meminit hujus Bernardi chronicon Bigaugiense ad annum MCX.
verbis sequentibus: Hic pro tempore præfuit ibidem utiliter, & obiit
in Hierosolymitana profectioe sub Conrado Cæsare, in Comitatu

Bernardi Comitis de Plozeka. Quod pariter ab Autore chron. Montis sereni ad ann. MCXXXIX. factum est. Confer. §. 67. (4) vid. §. 68. §. LXVI. Comes hic Bernhardus filius Hilperici, & nepos Ottonis divitis erat, (1) qui Hecklingense cœnobium cum fratre suo Conrado denuo extruxit, & Irmegardam, Patris sui sororem, Abbatissam ipsi praececit, (2) quam Pontifex Innocentius II. sequenti bulla confirmavit.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Dilectæ in Domino Filiae Irmengardi, Abbatissæ Hecklingensi, Beatorum Martyrum Christi Georgii & Pancratii Ecclesiæ, & Sororibus, quæ secundum regulam in illa succedent, æternam Salutem. Apostolici moderaminis Clementiæ convenit, religiosos diligere, & eorum loca piâ protectione munire. Dignum namque & honestati conveniens esse cognoscitur, ut, qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & à pravorum hominum nequitia tueamur, & Apostolicæ Sedis patrocinio foveamus. Eapropter Dilecta in Domino Filia & Abbatissa Irmengardis, Hecklingensem, Sanctorum Martyrum Georgii & Pancratii, Ecclesiam, in qua divino mancipata es obsequio, a Nobili Viro Comite Bernardo fundatam, & ab ipso, ut & ejus posteris Comite Theodorico & Hilperico opulenter dotatam, & ab Hilperici filiis simili veneratione auctam, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo Canonicus secundum Beati Benedicti regulam perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quæ bona prædicti Comites ad hanc Ecclesiam dederunt, vel impostero accessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum accedent, firma Tibi, Tuisque sororibus Tibi succedentibus permanent. Obeunte verò Te nunc ejusdem loci Abbatissa, vel tuorum qualibet Successorum, nulla ibi quâlibet subreptionis specie vel violentia præponatur: Sed liceat Vobis communi consilio, vel partis consilio sanioris, secundum Dei timorem & Beati Benedicti regulam, absque alicujus contradictione, Abbatissam eligere. Decernimus ergò, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas

reti-

retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri JESU Christi, & apud districtum Judicem & Sanctum Petrum ac Paulum præmia æternæ pacis inveniant. Amen.



Ego Innocent. Catholice Ecclesie Episcopus,

R
N

- † Ego Conradus Labinensis Episcopus.
- * Ego Gregorius Diac. Cardinalis Sanctorum Sergii & Bacchi.
- * Ego Otto Diaconus Cardinalis Sancti Georgii.
- † Ego Guido Diacon. Cardin. SS. Cosmæ & Damiani.
- † Ego Stephanus Prænestinus Episcop.
- * Ego Stantius Presbyt. Card. S. Sabinæ.
- * Ego Guido Cardin. Presb. S. Crisogoni.
- * Ego Reinerus Presb. Card. S. Priscæ.
- * Ego Petrus Diacon. Card. S. Mariæ in Portico.

Dat.

Dat. Lat. per manum Aimerici, Sanctæ Rom. Ecclesiæ Diac. Cardinal. & Cancellar. IV. Idus Januar. Indictione III. Incarnationis Domini anno MCXXXIX. Pontificatus verò Domini Innocentii II. Papæ anno X.

(1) Aut. Vindic. Anhalt. tab. Genealog. lit. B. (2) Antiquit. Ascanienses, vid. etiam bulla jam allegata.

§. LXVII. Anno CI^o CXLV. Comes Bernhardus quatuor Ecclesias in villis *Stasfurt*, *Aldendorp*, *Cockstede*, & *Winningen* sitas, Monasterio Hecklingensi donavit ac dicavit. Quam donationem Rudolphus, Episcopus Halberstadiensis, eodem anno confirmavit. (1) Anno CI^o CXXXIX. castrum ejus Plotzke à Conrado, Archi-Episcopo Magdeburgensi destructum est. (2) Perit in bello contra Turcas anno CI^o CXLVII. (3) nullos ex Cunnigunda, Comite Pleissensi, (4) relinquens liberos. (5)

(1) In hac confirmatione Bernhardus dicitur Comes Bernardus de Plötzke, genere nobilis, sed mente nobilior, utpote Deo devotissimus.

(2) Autoris chronici Montis sereni p. 16. verba afferam. Conradus, Archi-Episcopus Magdeburgensis, auxilio Principum sibi faventium castrum Bernardi, Comitis Plotzke obsedit, cepit & destruxit. Per hunc Bernhardum intelligit Sagittarius in Hist. Soltvedelensi §. 57. p. 32. Alberti Ursi filium, qui tamen illo ævo nondum natus erat.

(3) Charicus d. l. (4) Aut. chron. Mont. seren. p. 49. Laurent. Faust. im Fürstlichen Stamm-Baum p. 117. (5) Charicus d. l.

§. LXVIII. Post mortem Bernardi successor factus est ejus patruus Albertus Ursus, (1) qui jam anno CI^o CXXXIV. defuncto Conrado, Comite Plötzkeni & Marchione Brandenburgico, Marchionatum illum acceperat. (2) De hoc Alberto Urso, ejusque rebus gestis, partim à Sagittario, (3) partim in Antiquitatibus Comitatus Ballenstadiensis & Ascaniensis à me prolixius actum est. Mortuo Alberto Urso, filius ejus Bernhardus Comitatum Plocensem obtinuit, (4) cum cujus morte denominatio etiam Comitatus hujus usurpari desit. (5) Arcem autem Plötzkensem, & villas, quæ olim ad pagum Nizizi & Comitatum Plötzkensem spectabant, Serenissimi Principes Anhaltini adhuc possident.

(1) Charicus d. l. (2) Aut. chron. Mont. seren. p. 12. ita habet: Adalbertus Comes successit Conrado Marchioni. Confirmat hoc Heinr. Basse, Monachus Ballenstadiensis, in Panegyrico Principum de Anhalt. verbis sequentibus. Itaque circa eadem tempora Conradus de Plotzeke, Marchio Brandenburgensis, in itinere Romano sagittâ percussus interiit masculo carens herede, ac per hoc Marchionatus ille devolutus est ad Dominum Lotharium Imp. gloriosissimum, qui eum utpote

utpote Illustrissimo & ad talem tantamque dignitatis illius administra-
tionem idoneo ac sufficienti jure feudi Domino contulit Adalberto,
Comiti Aschaniensi & Ballenstadiensi, ipsumque Marchionem cum
omnibus suis legitimis heredibus Imperiique Romani Electorem ex
tunc & in futurum publicè declaravit anno Domini Millesimo cente-
simo trigesimo tertio. Videatur etiam Brotuf. in Genealog. Anhalt.
L. II. c. I. p. 28. Et Krantz. L. III. Wandal. c. 18. Hac autem Mar-
chionum stirpe in novissimo Rudolpho finiente, Soltwedel rediit ad
Ottonem de Balenstede & Anholt Comitem, Alberti Marchionis,
cognomento Ursi, Patrem: qui (Albertus Ursus) à Conrado assecutus
de Brandenburgo Principatum. Per Conradum hunc perperam intel-
lexit, Sagittarius in hist. Marchiæ Soltvved. §. 38. Imperatorem Con-
radum III. cum potius fuerit Comes Plötzkenensis, de quo in §. 64.
egimus. Hinc Albertus Ursus Conrado huic successit, juxta Aut.
chron. Mont. seren. ad ann. MCXXXIV, non in Marchionatu Plötz-
kenensi, quæ est Sagittarii sententia d. l. §. 50. sed Brandenburgensi,
prout ex Krantzii prædictis verbis & Heinrichi Basse Panegyrico pa-
tet. Comitatum enim Plötzkensem ad Marchionatûs dignitatem un-
quam pervenisse, nondum apud vetustiores reperi. Si itaque (ut scri-
bit Albert. Stadenfis ad annum CI^o CXLII.) Albertus Marchio revo-
catus est in gratiam Principum, & recepit omnia sua, Comitatum &
Marcam, Ultima de Brandenburgensi Marchia explicanda sunt; per
Comitatum autem non Anhaltinus, quippe qui Principatus ab initio
statim fuit, sed Plötzkenensis intelligi debet. (3) In hist. Soltvvedelensi.
(4) Bernhardum, filium Alberti Ursi, Comitatum Plötzkensem pos-
sedisse, ex Spangenbergii chron. Saxon. c. 228. patet. (5) Chærici
MStum Anhalt.

§. LXIX. Pergimus nunc ad pagum *Serimunt*, qui pago *Grimmeslewo*
versus plagam septentrionalem & orientalem finitimus erat.

§. LXX. Pagus *Serimunt* fuit tractus inter Salam & Mildam, ubi in Al-
bim se exonerat, & extendit sese usque ad fluvium Nutam, à quo pagus
Marassovv (1) incipit.

(1) Videantur literæ foundationis Monasterii Lietzke propè Magdeburgum.

§. LXXI. Putat quidem Entzelius, (1) pagum hunc Marchiam Solt-
vvedelensem, seu veterem, (2) complexum fuisse, & allegat diploma ab
ipso depravatum. Huic quoque quædam addit, quæ tamen ad illud non
spectant. (3) Verba autem diplomatis legitimi ita sunt concepta.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto, Dei Cle-
mentiâ Rex. Notum sit omnibus nostris præsentibus & futu-

ris, quod Nos omnem Regionem, *Sermunt* nuncupatam, Filio nostro Ludolpho in proprietatem donavimus. Filius verò noster, *Conradi Ducis*, nostrique *Marchionis Geronis* interventu, tres marcas prædictæ regionis in Comitatu *Thietmari*, quarum prima vocatur *Wisspici*, secunda *Witorulici* cum his villis *Witorulci*, *Trebucovuci*, *Neozodici* *Drogubulesdon*: tertia *Sublici* cum tribus villis *Sublicii* dictis & - - - *Becimunthorp*, *Procinesthorp*, *Obithesdol*, cum omnibus appenditiis & adjacentiis suis, jure perenni supra nominato *Marchioni* in proprietatem donavit. Posteaque prædicti nostri Nos obtemperantes petitioni probationique, jussimus inde hoc præsens præceptum conscribi, per quod volumus, firmiterque jubemus, ut prænotatus *Marchio* noster *Gero* de his omnibus, nostro dono sibi in proprium concessis, à modo & deinceps omni tempore liberrimam teneat potestatem habendi, donandi, (4) vendendi, seu quicquid placuerit sibi ea inde faciendi. Hæc nostra concessio ut obtineat vigorem, manu nostrâ subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione insigniri jussimus. Data V. Kal. Aug. Anno Dominicæ Incarnationis 1000 CCCCLII. Indictione VIII. Regnante *Pio Ottone* Rege anno XV. Actum *Walahusen* in Dei nomine feliciter Amen.

(1) In chron. *Marchico*, (2) perperam igitur *Entzelius*, aliique, eundem fecuti, existimârunt, pagum *Sermuntanum* esse *Balsamorum* terram. Hæc enim in antiquis rerum monumentis nunquam pagus, seu regio *Sermunt* audit, sed potius, *Balsamorum* regio vocatur. Juvat audire Autorem libelli de fundatione cœnobii *Bigaugiensis*: *Balsamorum* etiam regio dominio ejus (*Welfi*) cessit. Porro: *Wicpertus* autem in *Balsamorum* regionem, quæ ei paternâ hæreditate provenerat, secessit. Et paulò post: Ideoque *Udo* eum dimittens, municipium, quod habuit juxta *Elstram* fluvium, nomine *Groysta*, cum omnibus attinentiis eidem tradidit pro commutatione regionis *Balsamorum*. Terra hæc apud *Helmoldum* chron. Slav. L. I. c. 8. dicitur *Balsamer lande*. (3) pro *Sermund* ponit *Zermund*, & addit hæc verba superflua: civitatis *Osterburgensis*. Nunquam enim *Entzelius* ex diplomate aliquo demonstrare potest, Comitem pagi in eodem diplomate simul dictum fuisse Comitem civitatis istius pagi (4) Anno 1000 CCCCLXI. *Marchio Gero* non solum tres prædictas marcas, sed omnem etiam regionem *Sermunt* donavit *Monasterio Gernrodensi*,
prout

prout hoc ex literis foundationis Gernrodensis patet. Quod tamen de regione Balsamorum, seu Marchionatu Soltwedelensi, dici nequit, quippe quem Majores Vipertorum, Misniae & Lusatiae Marchionum Henrici IV. & V. Imp. temporibus florentissimorum, jure hereditario possederunt, de quo chronic. Bigaugiense videri potest.

§. LXXII. Sermunti quoque vocatur hic pagus in diplomate Ottonis I. quod dedit Christiano, Marchioni Lusatiae, anno 1000 CCCCXLV. super villas duas, *Steno* & *Quina* dictas. (1) Integrum diploma Alsteti datum ita habet.

IN nomine Sanctae & Individuae Trinitatis. Otto, divina propitiante clementia Rex. Dignoscant omnes fideles nostri praesentes scilicet & futuri. Qualiter Nos, per interventum Dilecti Filii nostri Liutulfi, cuidam fideli nostro Marchioni, nomine Christian, in pago *Sermunti*, in Comitatu ejusdem Christiani, in loco, qui dicitur *Steno*, & in loco *Quigina* vocato, quicquid proprietatis hucusque habere vis, sumus, cum custilibus, aedificiis, agris, pratis, pascuis, mancipiis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus ac redtibus, quaesitis ac inquirendis, omnibusque ad praenotata loca jure legitimeque pertinentibus, in proprietatem donavimus. Proinde munificae largitatis nostrae praecipuum scribi jussimus, per quod volumus firmiterque jubemus, quatenus memoratus Christian de his omnibus nostro dono sibi in proprium concessis, a modo & deinceps omni tempore liberrimam teneat potestatem habendi, donandi, (2) vendendi, commutandi, seu, quicquid sibi placuerit, exinde faciendi. Et ut hoc fidelium nostrorum sagacitate verius credatur, ac per succedentium temporum curricula diligentius observetur, manu nostra subtus firmavimus, & annuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum Domini
Ottonis



Invictissimi Regis.

Sigillum Ottonis I. (3)

Sff 2

Brun

Brun Cancellarius ad vicem Fridurici Archicapellani recognovi.
Data Kal. Maj. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLV.
Indict. II. Regnante Ottone Serenissimo Rege anno IX. Actum
Alasteti in Domino feliciter Amen.

(1) Bartholom. Svanenberg. in MS. Anhalt. cum Charico de his locis ita
habet: Alhier ist beyläufftig zu mercken / daß dazumal Steno und Qui-
na das Amt Dessau gewesen / denn Steno hart vor dem Thor nach Tor-
tenwarts dem Dorffe gelegen / davon noch heutiges Tages das eine Stadts
Thor zu Dessau S. Georgen warts das Stenische Thor genannt wird.
Quina aber ist der Berg bey Schöne / und heist noch diese Stunde Borch
Quina / darauff ein Schloß gestanden / jeko Borch Cöne genandt / un-
gefährlich eine gute halbe Meil von Dessau nach dem Abendwärts / mit-
ten im Cönischen See gelegen / und ist noch ein runder Platz mit kantz-
lichen Graben / so jeko mit Holze bewachsen / vorhanden. (2) Villam
Steno donavit Marchio Tietmarus, Christiani filius, Monasterio Nien-
burgensi, de quo Chronologia Abbat. Nienburg. videripoteft. Hæc
villa Steno vocatur in privilegio Wichmanni, Archi-Episcopi Magde-
burgensis, dato Monasterio Nienburgensi anno MCXCII. Burchvardi-
dium secus Mildam fluvium situm, ad quod quatuor villæ pertinuerunt,
Curave, (Korau/) Musize, (Mosigke) Chorize, & Pforobe. Vide
prædictam Chronologiam. (3) Idem est cum illo, quod Sagittarius An-
tiquit. Magdeburg. præfixum habet.

§. I. XXII. *Sirimunt* habetur in Diplomatis duobus Imp. Ottonis II. su-
per Grimmslevo datis, quorum unum superius §. 47. allegatum est, alte-
rum anno MCCCLXXX. datum, cum priore in plerisque convenit, nisi
quod in eo, præter decem villas, adhuc septem numerentur his verbis: qua-
rum sic se numerus habet: *Ogoimiki, Widogosti, Prederti, Bugovviki, Ra-
peri, (Neptzig) Bedofki, Widogasti, (Wedegast) Aquilonaris, Widogosti
Australis, Rusocovviki, (Rosviki) Cossavviki, Scrobovviki, & iterum Scro-
bovocki, Malovvodi, (Molweide) Pezodulba, Clancesthorp, Amoconthorp,
(Almkendorff / jeko eine wüste Dorffstätte / nicht weit von Borgsdorff geles-
gen) Zlubusiki.* Hæc scilicet loca & quicquid insuper ad ea pertinet. Quam-
ob rem à descriptione hujus Diplomatis abstinui.

§. LXXIV. *Sirimunti* scribitur in diplomate Ottonis I. Imp. dato Eccle-
siæ Magdeburgensi anno DCCCCLXV. V. Kal. April. Alteram, quæ voca-
tur Rosburg ultra Salam fluvium sitam in pago *Sirimunti*. (1) Hoc ratum
habuit Otto III. anno DCCCXCII. V. Kal. Sept. sub dato Magdeburg. (2)

(1) Sagittar. Antiquit. Magdeburg. p. 43. Leuber. stapul. Saxon. num. 1600.

(2) Heinr. Meibom. de pagis Saxon.

§. LXXV.

§. LXXV. *Seremode* nominatur in donatione Ottonis M. Imp. data Dornburg IV. Non. Novemb. anno Domini DCCCCLXX. (1) Ob interventum Ottonis Ducis, nepotis sui, concessit cuidam Livvoni, Pincernæ suo, villam *Biendorp*, (2) in pago *Seremode*, in Comitatu Thietmari sitam in proprium. *Serimode* autem habet diploma Ottonis II. Imp. super pagum *Koledizi*, cuius paulò post in §. 80. mentio fit.

(1) Henric. Meibom. de pagis Saxon. (2) villa *Biendorp*. prope *Vohnam* adhuc superest.

§. LXXVI. *Zirimundis* denique hic pagus dicitur in diplomate Ottonis III. Imp. dato Comiti *Wali* anno DCCCCLXXXIX. Ipsum diploma subijcimus.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente Clementiâ Rex. Omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus, Quomodo Nos petitionem & votum dilectæ amitæ nostræ *Methildis*, videlicet *Quintilimburgensis* Ecclesiæ venerabilis *Abbatissæ*, sequentes, nec non & desiderium fidelis nostri *Wali* Comitis adimplentes, ad Monasterium suum *Rode* nominatum, quod ipse & conjux sua, *Odeluit* nominata, in honore Dei noviter construxerunt, villam quandam *Zotonvve* vocatam, quæ nunc dicitur *Walstorp*, quam ipse de nostra proprietate hætenus beneficiario usu sibi à Nobis habuit concessam in pago *Zirimundis* dicto, & in Comitatu *Geronis* Comitis sitam, pro redemptione animarum beatæ memoriæ Avi ac Genitoris nostri *Augustorum* Imperatorum, ac remedio animæ nostræ, & dilectæ Matris nostræ *Theophaniæ* Imperatoricis *Augustæ*, dedimus, atque à nostro jure in Ecclesiæ jus tradendo transfundimus, Ea verò ratione, ut prædicta villa, ad prædictâ Eccles. à Nobis tradita, dehinc sub potestate Eccl. ipsius & *Abbatissæ* illius, quæ modò hic Eccles. præsidet, futurarumque, quæ ei succedunt, perpetualiter sine avulsione consistat. Et ut Sanctimoniales die nocteque in Dei servitio ibi manentes pro animabus Parentum nostrorum, ac pro Salute & stabilitate Regni nostri magis exorare debeant divinæ pietatis clementiam. Et ut hæc donationis nostræ traditio à nulla persona præsentis ac futuro tempore avelli vel frangi possit, præceptionis hujus tenorem inde conscriptum Sigilli nostri


Sff 3

stri



stri impressione signari jussimus, manuque propriâ, ut infrâ videtur, corroboravimus.

Signum Domini
Ottonis



Gloriosissimi Re-
gis.

Hildibaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archi-Capellani recognovit. Data Non Maj. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXVI. Indiæ. XIV. anno autem tertii Ottonis regnantis tertio. Actum Merseburgh feliciter Amen.

§. LXXVII. In pago *Sermunt* sita quoque erat villa *Wirbizke* olim (hodie *Wörpzig*) vocata, de qua sermo est, illam quondam Comitatum fuisse idque ex literis feudalibus Celsissimorum Principum Anhaltinorum probare volunt. Verum his respondetur, Comitatum *Wörpzig* / cujus prædictæ literæ mentionem faciunt, priscis temporibus *Worbez* vocatum fuisse. (1) *Worbez* verò non hæc villa, sed civitas *Werben* / in Marchia veteri sita, ævo illo ita nominata fuit, quam Majores Principum Anhaltinorum tum temporis possederunt. (2)

(1) Vid supra. (2) Anno MCXLIII. fuit Comes in *Werben* Theodoricus, Alberti Urfi filius, de quo Chærius ita habet: Theodoricus der VII. Sohn Alberti Urfi ist Graf gewesen zu Werben in der alten March unter Sangermünde an der Elbe. Meminit hujus Theodorici etiam Lerbecius chron. Comit. Schauenburg hisce verbis: Præsul mindensis, de Blanckenborg ortus capellam & castrum veteris montis *Buckenberg* cum omnibus suis attinentiis, à Thiderico Comite de *Werbende* / LXXX. marcis datis, de consensu Fratrum suorum Sigfridi, Bremensis Archi-Episcopi, Bernhaldi, Ducis Saxonie, Ottonis, Marchionis de Brandenburg, Monasterio *Oberenterschen* / obreverentiam Virginis Benedictæ, & ut ejusdem cœnobii Moniales habentes vitæ necessaria, se in Monasterio continerent, Domino fideliter servientes, comparat, & perpetuis temporibus assignat, anno Domini MCLXX. Indiæ. XIII. His addunt Meibomianæ notæ sequentia. Nullus Scriptorum hæcenus in filiis Alberti Urfi, Marchionis Brandenburgensis, hunc Thidericum nominavit. Debet ergo conservationem nominis sui Lerbeccio. Puto autem
pro

pro *Werbende* legendum esse *Werben* / quæ urbs est veteris Marchiæ ad Alandam fluvium. Plura de hoc Theodorico videre licet in Antiquitatibus Comitatus Ballenstadiensis & Ascaniensis.

§. LXXVIII. Comitum, qui pago *Sermunt* postremum præfuerunt, primus fuit Christianus, Ditmari, Comitis Wettinensis, & Burggravi Zorbecæ filius, (1) secundus Marchio Lusatia. (2) Obiit anno DCCCCLXXIII. (3) sepultus Magdeburgi. (4) Conjugem habuit Hiddam, Geronis Marchionis I. Lusatia sororem, (5) ex qua natus Diethmarus, successor, & Gero, Coloniensis Archi-Episcopus. (6)

(1) Albin. chron. misn. p. 248. 405. (2) Idem, Hoppenrod. Annal. Gernrodens. (3) Albin. d. l. p. 405. (4) Faustus d. l. Heint. Meibom. Rer. Germ. T. II. p. 272. Otto Imp. juxta eandem Ecclesiam corpus egregii Marchionis Christiani, qui fuit Pater Geronis, Coloniensis Archi-Episcopi & Thietmari Marchionis, Nuenburgensis Ecclesiæ Fundatoris, aliorumque sibi familiarium, tumulari præcepit. (5) Aut. chron. Mont. Seren. p. 36. Hoppenrod. libro Genealog. p. 60. Albin. d. l. p. 118. Faustus verò d. l. p. 106 & Entzel. Annal. March. Vet. vocant illam Siburg. (6) Aut. chron. Mont. ser. p. 36. Faust. d. l. Albin. d. l. p. 405. Heint. Meibom. d. l.

§. LXXIX. Patri autem successit Marchio Dithmarus, de quo supra §. 58. sufficienter egimus. Mortuo verò Dithmaro, ejus filius Gero, adhuc puer, (1) Comitatum hunc acquisivit. (2)

(1) Hoc patet ex diplomate §. 47. allegato (2) plura vid. de hoc Gero-ne §. 57.

§. LXXX. Pago *Sermunt* meridiem versus proximè adiacebat pagus *Koledizi*, cujus limites erant Sala, Vona & Milda fluvii. Maximam hujus pagi partem Rex C. II. marchioni Thietmaro, Fundatori cœnobii Nienburgensis, anno DCCCCLXXIII. dono dedit per diploma quoddam. In quo quia non pauca Antiquitatum Principatus Anhaltini notitiam illustrantia, dignum utique censemus, quod integrum afferamus.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto, divinâ favente Clementiâ semper Augustus. Cum nostræ sit condignum Serenitati, piis honestisque petitionibus benignum præbere assensum, Omnibus notum esse cupimus fidelibus nostris, tam præsentibus, quàm futuris, Qualiter Thietmoni Comiti pro fidelissimi recompensatione servitii, quod soepius erga beatæ memoriæ Genitoris nostri Imperatoris Augusti voluntatem nostrumque li-
bitum

bitum peregit, tantum terræ proprietatis nostræ, in regione pagoque *Koledizi* & in ipsius comitatu, (1) quantum à palude *Vona* versus occidentem longius ad marchas *Kotenni*, *Biteni* & *Ezeri* (2) protenditur, & hinc versus aquilonem, contrà marcham *Sevmodem*, (3) & ultrà tumulum *Bulzina*, (4) & de tumulo usque ad lucum *Churoxt* (5) contra marcham *Gorizka*, (6) & inde usque ad paludem circumquaque infra ipsum ambitum conceditur, nostræ Imperialis potentia auctoritatis in perpetuæ usum proprietatis concessimus, firmiterque largiti sumus, cum terris cultis & incultis, pascuis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, viis & inviis, exitibus & redivis, quæsitis & inquirendis, & cum omnibus jure legaliterque adhæc pertinentibus, eo tenore, ut liberè ipse deinceps perfruatur arbitrio hæc tenendi, dandi, commutandi, posteris relinquendi, seu, quicquid voluerit, inde faciendi. Et ut hoc nostræ donationis præceptum firmiter stabiliusque, perseveret, hanc cartam scribi jussimus, annuloque nostro signatam manu propriâ subtus eam firmavimus.

Signum Domini
Ottonis



Magni Imper.
Augusti.

Willigifus Cancellarius vice Rodberti Archi Cappellani notavi. Data quarto Nonas Junii Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXXIII. Indiæ. II. anno Regni Domini Ottonis XIII. Imperii VII. Actum Dornburg.

(1) Marchio Tietmarus, qui in hoc diplomate Thiemon vocatur, hoc modo in omnibus pagis, qui in *Salæ*, *Albis*, *Mildæ* & *Vonæ* fluviorum ambitu fuerant, comitatus habuit. (2) Marcha hîc pagi *Koledizi* partem denotat. Hoc modo *Kotevvi* (*Cathovv* olim propè *Gröpzig*) *Biteni* (*Biten*) & *Ezeri* (*Ederis*) Provincie *Koledizi* partes fuerunt.

fuerunt. (3) Marcha Serimode terminus, seu limes erat pagi Serimunt. Sic Marcha multipliciter sumitur in hoc diplomate. Marca enim & Marchia vocabulum est *πολύσημον* & quandoque vicum, vel villam, nonnunquam pagi alicujus, aut Provinciæ partem, non rarò terminum, seu litem alicujus regionis, sæpius Marchionis territorium, designat. (4) Der Berg bey Bilser Höhe / wo jeso die Windmühle drauff stehet. (5) Dumetum propè villam Rensdorf. (6) Gorizka. (hodie Görzig) pars etiam fuit hujus pagi.

§. LXXXI. Restant adhuc describendi duo pagi, ultra fluvium Mildam siti, quorum villæ ad Principatum Anhaltinum jam spectant. Nominati autem fuerunt *Nithsice* & *Cluze*.

§. LXXXII. Pagus *Nithsice* fuit ultra Mildam fluvium. Comitatum in hoc pago habuit Albertus, ejus nominis septimus, Comes Balleastadiensis, Marchionis Ottonis Pater. (1) Hic anno MLXXVII. omnem lignorum utilitatem ejusdem pagi cœnobio Nienburgensi attribuit per sequentem scripturam.

IN nomine Domini. Notum sit omnibus in Christo credentibus, tam futuris quàm & præsentibus, quomodo Comes Adelbertus, Nuwenburgensis Advocatus, pro Christi amore ejusque Sanctæ Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ honore, ad eundem tradidit locum manu potenti, & absque omnium hominum contradictione, omnem lignorum utilitatem in pago *Nithsice*, ut, quæcunq; prædicti cœnobii Abbatibus essent necessaria ad Monasterii, claustrum, officinarum, pontis, curtium, foris & intus, inde liberè & sine commutatione ad restaurationem acciperent. Adhæc etiam addidit, si quis, vel quæ in tota ejusdem loci familia exercitus exustulatione depopulatus, sive Dei judicio castigatus, aut ex quacunq; causa necessarius extiterit, eadem sibi ad restauranda ædificia perpetuo habeat. Ex his autem lignis, quibus regio illa debet circumvallari & muniri præter omissis. Cujuscunq; verò beneficium erit, Dominus Abbas hanc potestatem procul dubio firmiter tenebit. Hæc ergo prædictus Comes constituit ac scribi præcepit, & per scripta manu propriâ cum suimetque sigillo consignavit, ne post ejus mortem ulli liceret hanc violare traditionem, scilicet eo tenore, ut animabus, omnium ipsius Parentum, sui suæque conjugis, & eorum filiorum ac posterorum

T t t

liceat

liceat cum Christo sine fine regnare, quod ipse præstare dignetur, cujus imperium permanet per infinita secula seculorum Amen.

(1) De hoc Comite Alberto supra §. 21. egimus.

§. LXXXIII. *Nietci* quoque audit hic pagus in litteris prædicti Comitis Alberti supervillam Huckno nuncupatam, quam eidem cœnobio adscripsit. Sunt autem litteræ tales.

TAm præsentibus, quàm post futuris notum sit, quam traditionem pro remedio Patris, & matris, animæque suæ Venerabilis Comes Adalbertus ad sanctum Altare Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ fecerit locum unum, Huckno nuncupatum, cum omni utilitate, quam habet in pascuis, in paludibus, in silvis, in pratis, & unum sclavum, cum conjuge liberisque suis ibidem locorum habitantem, nostræ Ecclesiæ in proprium mancipavit, & sic, ut non possit à quoquam mutari vel auferri, manu suâ corroboravit. Insuper & aliam his addidit utilitatem, sed ut Abbas ejusdem loci, quicumque fuerit, liberam habeat potestatem in pago regioneque *Nietci* vocata, sine ullius contradictione, cædendi ligna, in cujuscunque Militum ejusdem Comitis fuerint beneficio sita, ad meliorandum monasterium, & claustrum, ad quotidiana fratrum servitia, ad pontem, & reconstruenda pastoforia, ad auxiliandum his, quorum fortè ædificia in eadem Abbatia fuerint igne consumta. Ceterum autem qui velint ex ipsius loci hominibus aliquam utilitatem habere, non eadem licentia, sed ut æquum vulgare postulat, utantur data mercede. Hanc verò traditionem, quam supra memoratus Venerabilis Comes nostro Monasterio contulit, si quis temerario, quod absit, ausu violare præsumserit, sciat certissimè, se vinculis anathematum innodatum, & cum diabolo, atque Juda proditore Domini nostri Jesu Christi, æterni supplicii incendio deputatum.


§. LXXXIV. Sequitur tandem pagus *Cluze* dictus, cujus terminus infra Mildam & Nitlavve, itemque infra Lubina & Zprutavve fluvios situs fuit. In eo erat Burgvardium *Cluze* pariter vocatum, à quo etiam denominationem obtinuit, & paruit pariter prædicto Alberto, Comiti Ballenstaedensi Anno MCXLIV. Arnoldus, Abbas Nienburgensis, hoc burgvardium *Cluze* à quodam Nobili, Svidegero dicto, emit, quod Rex Conradus

dus III. postmodum sub suam defensionem & mundiburdium (ut in diploma audit) recepit per sequens diploma.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Conradus, divinâ favente Clementiâ secundus, (1) Romanorum Rex. Si ea, quæ à Prædecessorum nostrorum Regum, sive Imperatorum, largitate locis divino cultui mancipatis sacra & veneranda religione collata sunt, devotè ac benignè confirmamus, nos quoque à Deo Patre certam remunerationem in futuro accipere speramus. Notum sit ergò omnibus tam præsentibus, quàm futuris Christi fidelibus, Qualiter Venerabilis Arnoldus, sanctæ Nigenburgensis Ecclesiæ Abbas, quoddam burgwardium *Cluze* vocatum, cum omnibus appendiciis suis, ultrà Mildam in pago *Cluze*, in Comitatu Adalberti Comitis, à quodam Suidegero, suis legitimis heredibus consentientibus, datis quadraginta marcis, in beneficium acquisivit, nostram interpellavit Clementiam, ut sub nostram defensionem & mundiburdium perpetuò tutandum reciperemus. Quia autem justis postulationibus deesse non debemus, præfatum burgwardium sub protectionem Regiæ Majestatis accipimus, prohibentes, ut nulli liceat infra terminum bonorum illorum, vel hominum inibi servientium, assultum facere, vel aliqua violentia opprimere, vel aliquibus vexationibus fatigare. Siquid verò prædicta Ecclesia in bono jam suprâ nominato, in campis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, paludibus, piscationibus, viis & inviis, quæsitis & inquirendis, & omnia, quæ modò habet, vel quæ in antea, Deo adjuvante, habitura est, eidem Abbati & fratribus suis, eorumque successoribus, in perpetuum confirmamus & corroboramus. Statuentes & præcipientes, ut nullus Episcopus, nullus Dux, Marchio, Comes, Vice-Comes, nullaque sub nostro Regno degens magna vel parva persona, in eisdem prædiis Fratres Deo servientes inquietare & molestare audeat, vel prædictum Monasterium divestire de rebus suis, aut invasionem facere præsumat, sed, qui idem facere voluerint, impedire. Si quis autem, quod absit, hujus præcepti nostri paginam violare aut infringere præsumperit, auri

purissimi quadraginta libras componat, & in medietatem persolvat Camera nostræ Regali, & medietatem Quæstori Ecclesiæ. Et ut hæc nostra confirmatio stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc cartam inde scribi & sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Hæc autem acta sunt Wirceburc, Regnante Conrado secundo Gloriosissimo, Romanorum Rege Invictissimo, anno Regni ejus VII. præsentibus Gerharo, Magdeburgensis Ecclesiæ Præposito, & ipsius Regis Filio Henrico, & Conrado de Walrstein, & Conrado, qui vocatur Brüs, & aliis Regni Ministerialibus quàmplurimus.

Ego Adelbertus Capellanus ad vicem Arnoldi Cancellarii recognovi.



Signum Domini Conradi, Romanorum Regis Invictissimi.
Data Wirceburc Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo centesimo quadragesimo IV. Indictione sexta. VII. Kal. Martii.

(1) Rex

(1) Rex Conradus in hoc diplomate scribitur secundus, qui tamen in ordine tertius fuit.

§. LXXXV. Anno MCXLVIII. Fridericus, Archi Episcopus Magdeburgensis, munificentiam suam erga Ecclesiam Nienburgensem testatus est, eidem dicando varios mellis usus atque decimas in burgwardio *Cluze*, & in pago ejusdem nominis sito. In hujus donationis diplomate pariter pagi *Cluze*, & ejus limitum mentio facta est hisce verbis: Quiliater dilectus noster in Domino Arnoldus, Venerabilis Abbas Nigenburgensis coenobii, burchvardium quoddam, *Cluzi* vocatum, secus Mildam in pago *Cluze*, cum omnibus villis & attinentiis suis, à Suithero quodam Nobili, ac legitimis heredibus ejus, multo labore, ac rerum suarum attenuatione emtum, præfato suo Monasterio acquisivit. Et porro: Omnem decimam, quæ, Deo propitio, nunc & in futuro justis modis acquiri potuerit, de suprascripto burchvardio *Cluzi*, cum omnibus villis in pago *Cluze* infra Mildam & Nitlavve, itemque infra Lubenam & Zprutavve fluvios, termino posito Nigenburgensi coenobio, in usum Abbatis, Fratrumque ejus, Christo ejusque Beatæ Genitricis famulantium, nec non & omnibus in futurum temporibus possidendam legitima traditione donavimus.

§. LXXXVI. Anno MCLVIII. Wigmannus, Archi-Episcopus Magdeburgensis, repetit donationem illam de decimis in burgwardio *Cluze* factam, & capite præcedenti à Nobis recensitam. In hujus privilegio eadem de pago *Cluze* verba, quæ in antecedente paragrapho allegata sunt, leguntur.

§. LXXXVII. Hæc itaque sunt, Benevole Lector, quæ de *Pagis* & Comitatus antiquis, quibus Principatus Anhaltinus natales suos fert acceptos, ex antiquis Manuscriptis & Diplomatum, in usum posteritatis, collegimus, Tuoque æquo jam tradimus iudicio.

Faxit DEUS Ter Opt. Max., ut Celsissimi Principes Anhaltini, è stirpe Ascaniensi oriundi, tam diu vigeant, florentque, donec hac in terra omnium rerum appropinquat certissimus

F I N I S.

Ttt 3

INDEX



INDEX RERUM NOTABILIUM.

Numeri autem non paginas, sed paragraphos indicant.

- A** Delheidis soror Eccardi §. 19.
- Abbatissa Gernrodensis. ib.
- Advocata in Scavviz 37.
- Genrodensis. 20. 24.
- Advocatus Ballenstadiensis 21.
- Albertus VII. Comes Ballenstad. & Advocatus Gernrodens. 21.
- & Ballenstad. ibid.
- & Nienburgensis ibid.
- fundat Præposituram in Ballensted. 22.
- obit ibid.
- Albertus Ursus 33.
- fuit primus Comes Ascherslebenensis dictus ibid.
- accipit Marchionatum Brandenburgensem 65. 68.
- Anhalt castrum 29.
- Ascaniensis Comitatus 27. 30. 39.
- olim Ascherslebenensis 32.
- Ascanium unde derivetur? 31.
- Ballenstadiensis Comitatus 27. 30.
- unde dicatur? 28.
- quando denominatio ejus defuerit? 29.
- quis ultimus fuerit Comes? ibid.
- Ballensted arx 28.
- convertitur in Monasterium 29.
- Ballenstadiensium Comitum Calendarium. 40.
- Bernburg 49. seqq.
- fit Marchionatus 50.
- Bernhardus Comes de Aschersleve 35.
- fit Dux Saxonie 36.
- dat Ecclesie Colbeccensis salis aram 36.
- & privilegia super Advocatiam in Scavviz 37.
- Comes Ballenstad. 53.
- Budizco 46. 47.
- Calendarium Comitum Ballenstad. & Ascaniensium 40.
- Christian. Marchio Lusatiae 15. 43. 55.
- Cluze pagus 81. 84.
- in protectionem regiam suscipitur. 84.
- decimæ in eo dantur Monasterio Nienburgensi 85.
- Comes Rath 54.
- Comitatus & pagus sunt synonyma 3.
- Ballenstad. 27.
- Nordringensis 14. 27. 42.
- Ascaniensis 27. 30.
- Reveningensis 27.
- Warmisdorf 27. 41.
- Aschersleve 29. 32. 34.
- quamdiu denominatio hujus durarit? 39.
- Wörpzig 77.
- Plötzkenensis, 68.
- Comites pagi Grimmserslevo 54.
- Plötzkenensis 63.
- quis ex Ascaniensibus primum acceperit titulum & insignia Marchie veteris? 64.
- pagi Sermunt 78.
- Conradus Marchio Brandenburg. 64.
- obit 65.
- Ducatus qualis intelligendus? 16.
- Diploma Henrici IV. super Ecclesiam Ballensted. 10.

Adel-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

- Adelberti**, Comitis Ballenstad.,
 quô Præposituram Ballen-
 stad. incorporat Monasterio
 Neuburgensi 22.
Friderici Archi-Episcopi Magde-
burg., de bonis in Gilver-
 stede 34.
Bernhardi Comitis Aschersle-
biensis, quo confirmatur
 donatio in prædio Esken-
 rod, 35.
 ejusdem, quo Eccles. Colbecc.
 datur ara Salis in Stasfurt 36.
 ejusdem super Advocatia in
 Seavviz. 37.
Ottonis II. super XXX. mansos
 in pago Grimmslevo 46.
 alia donatio 47.
Otton. III. super IV. mansos 61.
 Entzelianum vitiosum 71.
 Ottonianum correctius ibid.
 super duas villas Steno & Qui-
 na 72.
Monasterium Rode concer-
 neas 76.
 quô Tietmaro datur maxima
 pars pagi Sermunt 80.
Alberti, Comitis Ballenstad. de
 lignorum utilitate in pago
 Nithsice 82. seq.
Conradi III protectorium super
 Cluze 84.
Eccardus I. Marchio Misniæ 18.
 multa dat monast. Gernrod. 18.
 cujus Advocatus erat, ibid.
 Soror ejus 19.
 occiditur ibid.
 sepultus Jenæ ibid.
 uxor ac liberi ejus ibid.
Ecclesiæ Havelbergensis conditor 16.
 Colbeccensis 36.
 Entzelii error 71.
Ervinus, Comes Martisburgensis 13.
Esicus V. Advocatus Gernrodens. 20.
 filii ejus ibid.
 mors, ibid.
Eskenrod 33.
Fridericus, Archi Episcopus Mag-
 deburgensis, dat cœnobio
 Nienburg decimas &c. 85.
Gero Marchio quis fuerit? II. seqq.
 fit primus Marchio Lusatiae 16.
 & Brandenburgensis ibid.
 fundat monasterium Gernroden-
 se, ibid.
 & cathedralem Ecclesiam Havelb. ib.
 qualis dux fuerit? 16.
 uxor & filii 17.
 obit, ibid.
Archi Episcopus Colon. 56. 58.
 fundat monasterium Danc-
 marsfeld. 56.
Gisela Agnesa, Princeps Anhaltina,
 è vetusto stemmate Comi-
 tum de Rath, 54.
Goscap, 41.
Grimmslevo pagus 45. seq. 47.
 Comites in eo 54.
Habecha, Abbatissa Gernrod, 23.
Hadwigis, Abbatissa Gernrod. 17.
Hagenrode Præpositura 58.
Hidda, soror Marchionis Geronis, 15.
Huckno villa 83.
Innocentii II. bulla 66.
Joannis XIII. confirmatio fundatio-
 nis Monast. Dancmarsfeld. 57.
Koledizi pagus.
Lotharius primus Marchio in Bern-
burg 50.
 veneno tollitur 51.

Mar

INDEX RERUM NOTABILIUM.

- Marchiæ Brandenb. quis titulum & insignia primū acceperit? 64.
 Monasterium Westergröningen 15.
 Gernrodense 16.
 prima hujus Abbatissa 17.
 & Advocatus 18.
 accipit multa proedia ibid.
 & castellum Nienburg 43.
 advocatia ejus quando per venerit ad Comites Ballenstad. &c. 20. 24.
 Nienburgense 22. 46. seq. 61. 85.
 Ballensted. 29.
 Marienthalense 35.
 Dancmarsfeld. 43. 55. 57.
 translatio ejus. 58.
 Hecklingense 35. 65. 66. 67.
 Rode 76. Frosæ 10.
 Nienburg castrum 42. seq.
 datur Monast. Gernrod. 43.
 Nietsi pagus 21.
 Niethsice pagus 14. 81. 82.
 Nizizi pagus 61. 62. 63.
 Nordringensis comitatus 27. 42. 43.
 Nordthuringiæ pagus 6. 7. 25.
 fines ejus 25.
 nomen ejus mirè variat 26.
 est major pagus 27.
 multi in eo Comitatus ibid.
 Otto dives 23. 29.
 condidit castellum Anhalt. 29.
 ultimus Comitum Ballenstad. 29.
 posterij ejus dicuntur Comites de Aschersleve 29.
 Pagus quid 2.
 unus ei plerumq; Comes præest 3.
 & Comitatus sunt synonyma 3.
 unus interdum plures continet Comitatus & contra ibid.
 Plözke castrum 67.
 Præposituræ in Ballenst. fundator 22.
 incorporatur Monast. Nienburgensi 22. 29.
 Hagenrode 58.
 Quina villa 72.
 Rathi Comes 46. 54.
 ex ejus stirpe princeps Anhalt. 54.
 Reveningenensis comitatus 27.
 Serimunt pagus 69. 70. 72. 73. 74. 75. 76. 80.
 non est terra balsamorum 71.
 Sigfrid. Geronis Marchionis frater 15.
 fundat Monast. in Westergröningen. ibid.
 ejus vidua fit Abbatissa 17.
 Sirmuti pagus 47. 72.
 Steno villa 72.
 Suevon pagus 7. 8. 9. 10.
 Comites in eo 11. 18. 20. 21.
 conceditur Esico V. 20.
 quando denominatio hujus pagi desierit? 24.
 Thiemon Marchio 55.
 Titmarus Marchio 58. 79.
 obit 59.
 uxor ibid.
 epitaphium ibid.
 Thuringia septentrionalis in multos pagos secta 25.
 Udo, Marchio Stadenfis, 63.
 & Brandenburgensis 65.
 Warmsdorf 27. 41.
 Welphorum prosapia 23.
 Werben civitas 77.
 Wernherus Marchio necat Dedonem Marchionem 52.
 Wirbizke villa 77.
 Worbez ibid.

F I N I S

No 318

ULB Halle 3
004 778 642




VD47

D

212





Q. D. B. V.
 ANTIQUIT.
 P A G O R
 ET
 COMITAT
 PRINCIPATUS AN
 Ex
Antiquis & Per-Illustribus
mentis eruta,
 &
 Quàm plurimis Diplomatis, nun
 illustratæ,
 à
 CHRISTIANO
 Med. D. Archiatro Anha
 FRANCOFURTI AD MO
 Impensis FRIDERICI KNO
 Anno M. DC. XCIX

